


Inter libros
Josephi Mariæ Parascandolo
Antecessoris Regii
A. L. N.

DE SACRA
TRADITIONE
DIVINA, APOSTOLICA, ET ECCLESIASTICA

NEC NON

DE SACRA
LITURGIA.

LITURGIA
UNIVERSA

BREVI METHODO COMPREHENSA

AUCTORE

P. DOGLIEMEREN. T.



AUGUSTÆ TAURINORUM.

APUD FRANCISCUM PRATO

IN PROSPECTU ECCLESIÆ S. THERESIÆ.



STUDIOSIS SALUTEM.

Etsi minime ignorabam, complures extitisse viros tum pietate, tum rerum sacrarum doctrina insignes, qui in contexenda historia Scriptorum ecclesiasticorum remotioris non minus, quam proximioris ævi laudabilem impenderunt operam, obsequendum tamen fuit consiliis, ac suasionibus pii, doctique Antistitis, qui antiquorum Ecclesiae rituum studiosissimus mihi Auctor fuit, ut de rerum Liturgicarum Scriptoribus agerem, & peculiarem, distinctamque eorum seriem elucubrarem.

At enim quum hanc dicendi materiam non valde suapte natura copiosam, nimis Lectori molestam futuram praeviderem, operae pretium duxi, aliqua facta laboris accessio-

ne, perbrevem de sacra Liturgia tractationem, & insuper nonnullas de rebus Liturgicis dissertationes adjungere. Quae quidem duo non tam ad majorem hinc percipiendam jucunditatem fuerunt adjecta, quam eo potissimum consilio, ut nempe ab Haereticorum calumniis catholicae Ecclesiae ritus vindicentur, utque praeterea bene multi praecaveantur errores circa quaedam pontificalia ornamenta, de quibus non satis accurate aliqui Scriptores disseruerunt.


In hujus operis progressu ac praesertim in historia Scriptorum Liturgicorum facile mihi polliceor, nihil invicem pugnans, & contrarium repertum iri, multoque minus ullam asperitatem, vel animi invidentiam in eorum ingenio, moribus, ac operibus describendis; nihil enim adeo cordi fuit, quam animi candorem, & ingenuitatem adhibere in re admodum momentosa, quae po-

sterorum commodo, utilitatique inserviet eadem plane ratione, qua veterum Scriptorum commentaria nobis profuerunt. Quae in hoc argumento undique excerptae sunt, & collectae rerum notitiae, tutiores profecto desiderari non poterant, siquidem iis usus sum, eaque delegi antiqua monumenta, quorum fides, integritas, ac perspicuitas maxime commendantur. Cui etiam illud accedit, multa, quae in hoc opere continentur, ea me tamquam testem oculatum proposuisse.

Lectorem itaque enixe rogo, ut, si in aliquibus defecisse videar, veniam mihi perhumaniter impertiatur, ut interim aliquod retulisse laboris praemium gratulari queam, dum majus, atque uberius non nisi a supremo bonorum omnium Largitore expectandum. Valete.

CONTESTATIO AUCTORIS.

Quamvis enim in sequenti serie Scriptorum rerum Liturgicarum a nobis aliqua elogia posita fuerint; nihilominus intendimus obedire in toto, & in parte Decretis summi Pontificis Urbani VIII. per sacr. Inquisitionem publicatis sub ann. 1625. 1631. *&* 1634. *nec in aliqua parte eisdem contradicere. Et ideo declaramus quod res omnes, quae in praesenti serie continentur (nempe elogia) non intendimus, nec voluntatis nostrae est, quod intelligantur alio sensu nisi humano, absque ullo concursu Divinae auctoritatis, vel Ecclesiae catholicae Romanae, cui infallibili censurae humiliter omnia ponimus ac subjicimus.*



CAPUT PRIMUM

De definitione, & divisione sacræ Traditionis.

Quemadmodum veteres omnes, recentioresque scriptores, sic & nos a definitione, & divisione sacræ traditionis exordium sumemus; non vero tam late illas accipiemus, quemadmodum ab Apostolo in sua secunda ad Thessalonicenses scripsit, nempe = Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram = Ea tamen, de qua in præsentiarum loquimur, est doctrina de externo Dei cultu, & ritu viva voce dumtaxat primis Christi Fidelibus a sacris Auctoribus tradita, aut obscure tantum mandata litteris, quamquam ab iis subinde, qui eam acceperunt, fuerit aut primum, aut perspicue exarata.

Quod vero ad divisionem traditionis pertinet, dicimus triplicem esse pro triplici-

tate objectorum, nimirum, aliæ Divinæ, aliæ Apoſtolicæ, Eccleſiaſticæ tandem aliæ dicuntur. Divinæ appellantur, quæ primo, & immediate acceptæ ſunt a Chriſto docente ſuos Apoſtolos, qui eaſdem poſtea ipſius Chriſti nomine, & præcepto viva tantum voce vulgarunt, ac Chriſtianorum memoriæ, Fideique commendarunt. Cujus generis ſunt Genitricis Dei Matris virginitas perpetua, baptiſmus infantium, ſacramentorum aliquorum forma, & materia, cultus ſacrarum imaginum, aliaque permulta, quæ in ſcripturis Divinis quamquam explicata non ſint, attamen ea Chriſtum Eccleſiæ per Apoſtolos tradidiſſe indubitanter credimus; multa enim, quæ ſcripta non ſunt, & ad inſtruendam ſtabiliendamque orthodoxam fidem neceſſaria erant, Apoſtolos docuit Chriſtus, præſertim quum poſt reſurrectionem ſuam apparens eis loqueretur de Regno Dei, ut habetur Actor. 1.

Apoſtolicæ autem traditiones dicuntur, quæ ab Apoſtolis, ut Eccleſiæ Paſtoribus, ſeu nomine ſententiaque propria loquentibus, Spiritu ſancto tamen ſuggerente, ad Eccleſiæ utilitatem circa ritus morumque diſciplinam editæ fuere, & ab ipſis per majores intermedios ad nos uſque pervenerunt. Hujus generis ſunt v. g. Quadrageſimalis jejunii inſtitutio, Dominicæ diei ſanctificatio, & ſimi-

lia, quæ per universam Ecclesiam, quamquam de iis Scripturæ sileant, ab ipsis tamen Apostolorum temporibus religiosissime custodita huc usque sunt. Solent tamen interdum etiam Divinæ traditiones dici Apostolicæ, & quæ proprie Apostolicæ sunt, Divinæ quandoque nominantur. Divinæ traditiones dicuntur Apostolicæ, quod earumdem præcones fuerint Apostoli, seu prædicatione sua primum Ecclesiæ tradiderint, quum ipsi seorsim eas a Christo accepissent. Apostolicæ vero dicuntur Divinæ, quod ab Apostolis, collata divinitus facultate, & cum assistentia Spiritus sancti institutæ fuerint. Quomodo omnes Apostolorum Epistolæ, dicuntur Divina, & Apostolica scripta, etiamsi quædam in eis sint præcepta Divina, & quædam proprie Apostolica, ut patet ex illa 1. *ad Corinth.* 7. == Præcipio non ego, sed Dominus == & paulo post == Dico ego, non Dominus. == Dum ergo traditio quævis Apostolica, aut Divina dicitur, erit diligentissime animadvertendum, num ea ab Apostolis, an a Christo immediate ad nos pervenerit.

Traditiones tandem Ecclesiasticæ illæ proprie dicuntur, quæ neque a Christo, nec ab Apostolis, sed post Christi ascensum ad Cœlos, & Apostolorum ex hac vita decessum, sunt ab Ecclesiæ Prælatis, vel populis

introductæ, ac tandem postea per modum legis, aut consuetudinis, tacito sibi succedentis populi consensu, & usu receptæ, & ad nos usque delatæ. Hujus generis sunt festi quidam dies, certa quædam jejuniorum tempora, candelarum, cinerum, palmarum, & similium benedictionis usus, & plures aliæ nec a Christo, nec ab Apostolis ortæ, in Ecclesia tamen usu receptæ.

Divinæ Traditiones eamdem sibi auctoritatem vindicant, quam Divina præcepta, quæ in Scripturis expressa leguntur, & similiter Apostolicæ non scriptæ eamdem, quam Apostolicæ scriptæ habent, ut in Concilio Trid. sess. 4. asseritur. Hoc evidentissime probamus sequenti ratione: nam quæ scripta est sacra Doctrina non ideo vim, & auctoritatem habet, quod in membranis sit exarata, sed quia a Deo profecta est vel immediate, vel mediantibus Apostolis, quos afflatu suo Spiritus sanctus imbuebat. Parem igitur cum Divinis Scripturis auctoritatem habent Divinæ, & Apostolicæ Traditiones minime scriptæ. Quemadmodum æqualis certe sunt auctoritatis apud populum, quæ aut a Rege fiunt mandata, aut a Magistratibus facultate Regia proficiscuntur; sive ea scripto, sive viva dumtaxat voce edantur. Ecclesiasticæ autem Traditiones

eamdem vim obtinent, quam Ecclesiæ decreta, & scriptæ constitutiones: nam etiam in Republica civili eadem est vis approbatarum consuetudinum, ac legum scriptarum.

Quod vero pertinet ad materiam, circa quam traditiones sacræ versantur, triplex est, nempe fidei, morum, & rituum. Perpetuam Deiparæ Mariæ Virginitatem, quæ asserit doctrina, vel quæ quaternarium Evangeliorum numerum, aut aliud nobis exhibet, christianæ religionis dogmata, de fide traditio est: quæ vero solemnes dies statutos præcipit, aut jejuniis sacros, aliaque hujusmodi adstruit informandæ hominum vitæ accommodata, traditio est de moribus. Demum doctrina de cultu Dei externo, de caeremoniis Missæ, sive de Liturgia, sacrorum rituum traditio nominatur, de qua præcipue a nobis in hoc volumine agitur.

Insuper si durationem traditionum considerare velimus, sane aliquæ perpetuæ, aliæ temporariæ dicendæ sunt. Perpetuæ dicuntur, quæ ita in Ecclesia positæ sunt, ut tamdiu sint duraturæ, quamdiu durabit ipsa Ecclesia, cujus quidem auctoritate immutari numquam possint. Sic e. g. omnia dogmata religionis, sacramenta, omnesque traditiones Divinæ. Temporariæ vero, quæ Apostolicæ, vel Ecclesiasticæ tantum sunt, quum talis naturæ

ſint, ut ad tempus durare queant, ſeu Eccleſiæ auctoritate pro rerum ac temporum circumſtantiis immutari, quemadmodum reipſa effectum eſt e. g. quoad trinam immerſionem olim in Baptiſmo ſervari ſolitam, vel quotidianam fidelium communionem, Euchariſtiæ utriuſque ſpeciei penes laicum uſum, & alia permulta, quæ hic recenſere non putamus.

Inſuper ratione locorum traditiones in univerſales, & particulares dividuntur. Univerſales ſunt, quæ fideles omnes ubique diſperſos adſtringunt. Particulares ſunt; quæ unam dumtaxat, aut particulares paucas reſpiciunt Eccleſias. Univerſales ſunt feſti dies Paſchatis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, Jejunia Quadrageſimæ, & Quatuor Temporum, Crucis ſignum, &c. Particulares, ut ſabbati jejunium, quod a ſancto Petro olim inſtitutum fuit, ut refert Auguſtinus *in Ep.* 86. ad Caſulanum, Romana Diœceſis ſervabat.

Demum traditiones aliæ neceſſariæ, aliæ liberæ ſunt. Inter neceſſarias collocamus, quæ ad univerſalitatem pertinere diximus: inter liberas, quæ per modum conſilii latæ ſunt, proindeque ſine culpa omittuntur.

CAPUT SECUNDUM

In quo fundamenta traditionum Christi, & Apostolorum exponuntur.

Quatuor a nobis fundamenta traditionum Christi, & Apostolorum admittenda sunt, ne cum Lutheranis, aliisque hæreticis disputantes pro sacrorum rituum defensione ea, quæ opportuniora sunt, nobis deessent.

Primum igitur fundamentum in eo collocamus, quod videlicet Ecclesia antiquior sit Scriptura, ideoque fides, ac religio sine Scriptura constat. Hoc fundamentum validissime comprobatur ex eo, quod vetustissimi Patres primorum sæculorum, qui in lege naturæ ante Moysen veri Dei cultores sunt habiti, sacrificiorum ritum, & veram de rebus divinis sententiam non scriptis legibus, sed more & instituto majorum servavere. Circumcisionem quoque a Deo primum acceptam, Abraham deinceps familiæ prodidit. Populus vero ille hebræus ejusmodi sacramentum non aut membranis aut tabulis inscriptum, sed in animis consuetudine imbutis quasi impressum conservavit: enim vero in Ægypto per multos annos citra ullam scriptam legem, veram fidem, religionemque unius Dei tenacissime tenuit.

Quid magis? Christus etiam Dominus nec minimum librum scripsit, imo nec, quantum legimus, nobis præcepit ut scriberetur: en verba ipsius = Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ: non ait Scribite. Et per Jeremiam *cap.* 30. dicit = Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. = Apostolus pariter ait *Epist.* 2. *ad Corint.* = Estis Christi, administrata a nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. = Igitur a principio lex ipsa Evangelica, quæ spiritus est, in animis fidelium insculpta fuit, non litera exarata.

Hoc enim comprobatur exemplo aliorum Apostolorum, qui viva voce Evangelium docuerunt, & postea literis mandarunt; quemadmodum testes inconcussi sunt Irenæus in suis scriptis adversus Valentinum, Eusebius variis in locis, sed luculentius in *lib.* 2. *Eccl. Hist. cap.* 15. *& lib.* 3 *cap.* 4. Chrysost. *hom.* 1. *in Matth.* Theophilact. in *initio commentarii in Matth.* Hieronymus *in Catal. script. Ecclesiast.* uno verbo omnes Ecclesiastici scriptores nostram sententiam scriptis suis confirmarunt. Quod si tandem Lucæ Evangelistæ testimonium ponimus, omne dubium de medio tollet, securitatemque nobis præbet, in-

quiens = Quoniam multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt, rerum; ſicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis: viſum eſt mihi aſſecuto omnia, a principio diligenter ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile, ut cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. Ergo doctrina fidei jam vulgata acceſſit, non vero præceſſit ſcriptionem.

Conſtat item chriſtianam Eccleſiam, & religionem primum traditioni ſubſtitiſſe: nam doctrina fidei in primitiva Eccleſia non a ſcripturis auctoritatem accepit, immo ſcripturæ a traditione. Sicut tradiderunt, ait, nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis. De facto in Eccleſia Chriſti aliquando catholica dogmata fuerunt, quæ ſacris nullis literis continerentur. Unde S. Irenæus ait *lib.* 3. *cap.* 4. = Quod etſi Apoſtoli nullas nobis ſcripturas reliquiſſent, tamen & oportebat nos ſequi ordinem traditionis Eccleſiæ, quam fideles ſcilicet ante ſcriptum Evangelium ſequebantur.

Secundum fundamentum erit, non omnia, quæ ad doctrinam chriſtianam pertinent, eſſe etiam nunc in ſacris libris expreſſa. Enim vero de perpetua virginitate B. V. Mariæ, de deſcenſu Chriſti ad inferos, de Baptiſmo par-

culorum, de conversione panis & vini in corpus, & sanguinem Christi, de processione Spiritus sancti ex Filio, de æqualitate trium Personarum in una substantia, & de distinctione earumdem per relativas proprietates, in libris canonicis expresse non invenitur, & tamen adeo in fide certa sunt, ut qui oppositum sensisset, tamquam hæreticus ab Ecclesia declararetur. Quemadmodum igitur articulus resurrectionis continebatur in illo = Ego sum Deus Abraham, & Isaac = quod postea Christus Dominus minus intelligentibus exposuit: ita nonnulla per Spiritum veritatis explicuit Ecclesia, quæ in sacris literis habentur obscura.

Tertium Fundamentum desumimus ex eo, quod multa pertineant ad christianorum doctrinam, & fidem, quæ nec aperte, nec obscure in sacris literis continentur. Hæc nostra assertio satis probatur ex Innocentio Papa *de celebrat. missæ cap.* Cum Marth. = Verba enim, quibus in calicis consecratione utimur, & quibus Christum Dominum usum esse profitemur, scilicet *mysterium fidei*, & *æterni testamenti*, in Evangelistis non habentur. Ac ne illud quidem = *Elevatis oculis ad Deum Patrem suum*. Sententiam quoque illam, = Beatius est multo dare, quam accipere = Christum dixisse nesciremus, nisi Paulus in Actis docuis-

fet. Quemadmodum ergo non omnia gesta Jesu, Evangelica scriptura complexa est; ita nec omnia verba quidem, sed quædam per traditionem accepta sunt.

Rursum sanctorum Martyrum auxilium precibus implorandum, & illorum memorias celebrandas, imagines venerandas esse, in sacrificio Eucharistiæ simul cum corpore sanguinem sacerdotibus esse & conficiendum, & sumendum, sacramenta confirmationis & ordinis non iteranda, sacræ literæ nusquam forte tradiderunt. Atqui ejusmodi pleraque alia id genus ita firmiter Ecclesia catholica retinet, ac si sacris codicibus inscripta fuissent. Multa igitur sunt fidei catholicæ dogmata, quæ sacris literis non habentur.

Quartum Fundamentum in eo ponimus, quod Apostoli alia quidem literis, alia autem viva voce reliquerint: causa autem, propter quam quod hoc fecissent, altius repetenda erit. Morem porro hunc tradendi quædam discipulis non scripto, sed verbo, olim quoque scimus a Philosophis observatum. Ait Cicero *lib.* 1. *De legibus* = Nec scriptis omnia sancienda = & eodem libro rursus sacra putat melius in Republica conservari, si a Patribus accepta deinceps familiis prodantur.

Si consulamus Hilarium in *psal.* 2. & Origenem, dicent nobis Moysen non legem

solum, sed secretiorem legis enarrationem in monte divinitus accepisse: præceptum autem ei a Deo, ut legem quidem populo scriberet; occulta vero mysteria legis ipse ministro suo Josue, deinceps succedentibus sacerdotum primoribus, magna silentii religione revelaret. Anatolius quoque apud Eusebium *lib.* 7. *Eccl. Historiæ cap.* 28. refert. septuaginta Interpretes Ptolemæo Regi percontanti, multa ex Moysis traditionibus respondisse. Atque illud etiam Auctor 4. libri Esdræ 14. cap. non obscure testatur == Enarravi, inquit, Moysi mirabilia multa, & præcepi ei dicens, Hæc in palam facies verba, & hæc abscondes. == Ad hujusmodi vero traditiones Propheta *Psal.* 43. & 77. videtur spectasse, cum ait == Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annunciaverunt nobis; == & rursus: Quanta mandavit Patribus nostris nota ea facere filiis suis. Et Moyses ipse in Deuteron. *cap.* 32. inquit == Interroga Patres tuos, & dicent tibi, majores tuos, & annunciabunt tibi. Quædam igitur non scripto, sed verbo tradere non Philosophorum modo; verum Moysis, imo Dei etiam consilium fuit.

Hujus ergo optimi consilii rationem Jesus Christus habuit, habuerunt Apostoli. Enimvero si Apostoli, quibus formis sacramenta essent conficienda, quibusve ritibus administran-

da, & alia hujusmodi passim vulgo tradidissent, quid esset aliud quam sanctum dare canibus, & inter porcos spargere margaritas? Hæc itaque prima ratio est, cur Apostoli quædam sine scripto traderent: nempe ne aut ab Ethnicis sacra nostra irriderentur, aut vulgo etiam fidelium venirent in contemptum.

Secunda ratio est, quia viva vox majorem energiam habet, & fortius sonat, teste Hieronymo ad Paulinum ubi ait = In illud vellem apud vos modo esse, & mutare vocem meam. Indignum ergo erat, ut tota Evangelii doctrina, quæ lex est spiritus & vitæ, mortuis utique literis committeretur, nec ulla ex parte committeretur cordibus, cum de ea peculiariter scriptum esset = Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. = Servorum & rudium est omnia ex præcepto agere. Judæorum ergo sit scripta hæc lex, qua universa, etiam minima præfiniantur. At filii perfecti jam viri, & in libertatem gratiæ vocati, habeant legem insculptam in cordibus.

Confirmamus argumentum auctoritate Papiæ *lib.* 3. *Eccl. Hist. cap.* 39. ubi ait = Si quando advenisset aliquis ex iis, qui secuti sunt Apostolos, ab ipsis sedulo expiscabar, quid Andreas, quid Petrus dixerit, quid autem Philippus, vel Thomas, quid vero Jacobus, Jo-

annes, Matthæus. Nec enim tantum mihi librorum lectiones prodesse credebam, quantum vivæ vocis, præsentisque magisterium = At ubi gentium est verbum, quod tanto tempore Lutherani jactare solent? Nam scriptum verbum, proprie loquendo, non est verbum. Apud nos autem, qui Christi, & Apostolorum oracula, & voces tuemur, verbum Domini vere, & proprie manet in æternum. Verbum, inquam, vivum ex Doctorum ore in Discipulorum transfusum aures fortius resonat. Verba, inquit, mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore seminis tui amodo & usque in sempiternum.

Quod si de confutatione hæreticorum sermo sit, nullus dubitat, quod in traditione major vis, quam in scriptura inveniatur: de facto usquedum Christi Domini Discipuli extiterunt, munda & immaculata Ecclesia permansit, & corruptores, si qui forte fuerunt, non palam, sed potius in terræ hiatibus delitescebant, quemadmodum Montanus, aliique. Ut vero illa ætas, quæ a Domino susceperat vivæ vocis auditum, discessit, tum nudato capite Apostolicam veritatem oppugnarunt, quemadmodum fecit Montanus, qui primus traditioni se opposuit. In hac sententia constantissimi fuerunt Ignatius, Tertullianus, Irenæus, aliique permulti. Hic autem

ib. 5. *Histor. Eccl. cap.* 16 ait = Hæretici scripturis nituntur sua dogmata confirmare, ne sine teste esse videantur: sed deformant eloquia Dei, atque ex figura hominis, vulpis, aut ursi figuram reddunt = In hac parte nobis videtur, quod hæretici id faciant, quod pater ejus diabolus cum Domino N. J. C. fecit, appetentes testimonia scripturarum: quodcumque dogma hæreticus proferat, statim ait: Scriptum est enim: & non unum, sed mille testimonia, mille exempla parat de lege, de psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus novo more interpretatis, sententiam suam approbare conatur.

Ratio potissima, cur traditiones Apostolicæ fuerint necessariæ, hæc est. Sensus enim scripturarum Apostolicarum non erat ab Apostolis scripturis aliis explicandus, nisi ipsi in opera sua ederent commentarios, quod a viris gravissimis semper alienum fuit. Intelligentiam ergo scripturæ sacræ Discipulis suis viva voce tradiderunt: ut illud Deus omni tempore in suis Ecclesiis impleret = Dabo legem meam in visceribus eorum = Lex, ut S. Hieronymus elegantissime in suis *Comment. ad Galat.* scripsit, Lex siquidem Evangelica non in scripturis est, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in verborum foliis, sed in radice rationis = Si res aliter se

haberet, nulli essent Ecclesiæ Doctores, sed quivis plebejus, & rudis omnium rerum intelligentiam quæreret sine præceptore. Nunc autem traditiones Apostolicæ non quibuslibet commendatæ sunt, sed juxta Paulum, sapientibus, & prudentibus, fidelibus quoque ac Religiosis depositi Sacramenti custodibus, qui etiam idonei sint & alios docere. Æquum erat ut aliquis, quasi Lydius lapis in manu Ecclesiæ relinqueretur, quo falsas verasque doctrinas, verumque scripturæ sensum a falso discerneret.

Quod vero Apostoli Evangelii doctrinam partim scripto, partim verbo tradidissent, auctoritate fere omnium SS. PP., non verba tamen illorum referendo, sed brevitatis gratia loca tantum, in quibus leguntur, citando. Dionysius *lib. de Eccl. Hierarch. cap* 1. Clem. Alexand. *in lib. de Pasch.* Euseb. *lib. 6. Eccl. Hist. cap.* 11. *& lib. strom.* 1. *&* 5. Orig. *hom.* 5. *in num.* Papias apud Euseb. *lib.* 3. *Eccl. hist. cap.* 39. Just. Mart. *quæst.* 118. a gentibus posita. Irenæus *lib.* 3. *c.* 3. *&* 4. Tertull. in *lib. de Corona militis*. Cypr. *de ablutione pedum*. Epiphanius *de hæres.* Hieronymus *adv. Luciferianos*, Aug. *lib.* 2. *de Bapt. conf.* Donat. *cap.* 7. *& lib.* 4. *cap.* 24. *& lib.* 5. *cap.* 23. *&* 26. Basil. *lib. de Spir. sancto cap.* 27. *&* 29. Posita igitur talium virorum auctoritate, quis resistet? Sed

si pro majori robore, hæretici, testimonia sacræ Scripturæ in hac re petant, audiant. D. Paulus 2. *ad Thessalonicenses* 2. inquit = State & tenete traditiones, quas accepistis, sive per Epistolas, sive per sermonem; & rursus *prima ad Corint.* 11. Laudo autem vos fratres, quod sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis; & *eodem cap.* Ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis ..... cætera cum venero disponam. Atque *ad Timoth.* 2. Formam habe sanorum verborum, ait, quæ a me audisti: bonum depositum custodi. Et deinceps = Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Joannes in *Epist.* 2. Plura, inquit, habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & ore ad os loqui. Quid multa? Duæ sunt Epistolæ Petri, & tamen cum Antiochiæ, & Romæ sedit, elinguis non fuit; igitur præter id quod in Epistolis scripsit, multa, imo plura verbo docuit. Quid? Andreas, Thomas, Bartholomaeus, Philippus non ne sine scriptura solo intercurrente verbo Ecclesias sibi destinatas & fundarunt in fide, & in religione continuerunt? Igitur consentiant hæretici, quod negare non possunt, fidei doctrinam non scripto totam, sed ex parte verbo ab Apostolis esse traditam.

CAPUT TERTIUM.

Heterodoxorum, criticorumque objecta adversus Liturgiae Auctores.

Objic. 1. Liturgiae variis Auctoribus adscriptæ, suppostitiae sunt. Ergo rejiciendae.

Prob. antec. Variis ex capitibus, & primo quidem teste Balsamone, ubi de Liturgia S. Jacobi minoris Jerosolymorum Episcopi, in sua responsione ait, omnes Ecclesias teneri Constantinopolitani ritus observare.

Secundo. Quia vox Graeca, quae Filii consubstantialitatem aperte significat, & posteriori aevo inventa creditur, saltem sexies in ea usurpatur, ut legere est in *tom.* 2. *Biblioth. Graecolatinae veter. PP.* ubi Liturgia hæc utraque lingua habetur.

Tertio. Quia vocabulum Graecum significans Deiparam, quo glorioso titulo longe post honorata est B. V. Maria, quater de ea in praefata Liturgia praedicatur.

Quarto. Quia trisagium Sanctus, Sanctus, Sanctus, seu sancte Deus, sancte fortis, sancte immortalis miserere nobis, ibi cantandum assignatur, quod tamen Ecclesiis incognitum fuisse videtur usque ann. 446. idque colligitur ex Epist. S. Felicis PP. III. data ex Synodo

Romana ad Petrum Cnaphaeum Patriarcham Antiochenum.

Quinto. Quia Doloxia, seu Hymnus Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, qui in hac Liturgia legitur, in usu non fuit ante V. Ecclesiae saeculum.

Sexto. Confessoris titulus, nomenque Monachorum, recentiora creduntur, quam quae potuerint aetate Apostolorum commemorari.

RESPONSIONES.

Dato etiam & concesso praedictas Liturgias prorsus fuisse ignotas ante V. Ecclesiae saeculum, sequeretur quod etsi ab Apostolis fuissent revera conscriptae; non potuissent citari per quatuor priora Ecclesiae saecula, & per consequens quod saeculi V. scriptores ullam mentionem illarum Liturgiarum faciant. Semel enim supposito easdem per illud temporis spatium latuisse, in promptu ratio est, cur ex illis Concilia Nicaenum, & Ephesinum argumenta non desumpserint adversus Arianos, & Nestorianos. Quare praefatorum Conciliorum silentium, medium quidem efficax est ad probandum, ignota Patribus fuisse vetera illa monumenta, quae Divinarum Personarum consubstantialitatem, & Deiparae attributum diserte exprimebant: ineptum vero ad demon-

ſtrandam eorumdem monumentorum falſitatem: nam Apoſtolos clare agnoviſſe Chriſtum eſſe Filium Dei, & Mariam Matrem Dei, & has veritates ab initio fidelibus credendas propoſuiſſe, tam eſt certum, quam exploratum eſt, id fide docente, Spiritum ſanctum docuiſſe Apoſtolos omnem veritatem.

Neque Eccleſia tum praefatas veritates primum didicit, cum oppoſitos Arii, & Neſtorii errores damnavit; imo ideo horum errores damnavit, quia illas fidei Catholicæ veritates perpetua, nec interrupta traditione tenuit, credidit, docuit. Alioquin Ariana, & Neſtoriana haereſes, non ut doctrinae novae, antiquaeque contrariae tantopere conturbaſſent Eccleſiam Chriſti. Quomodo enim exhorruiſſent fideles ad inauditas antea haereticorum blaſphemias, niſi firmiter credidiſſent orthodoxas, quae iisdem blaſphemiis repugnabant, doctrinae ſanae ſententias? Quo in loco haud poſſumus non mirari aevi noſtri criticorum inconſiderationem, qui ut ſcripta aliqua veteribus attributa ſpuriis, & ſuppoſititiis ſcriptoribus adjudicent, ſatis habent, ſi ipſa contineant expreſſam hujus, vel illius articuli, poſteriori tempore ab haereticis impugnari, fidem, expoſitionem, ac notitiam; quaſi non antea inclareſcere potuerint in Eccleſia veritates catholicae, quam Haeretici exor-

ti fuerint errores. Hoc nimis incogitanter dictum, aut ſuppoſitum aſſerimus. Nam ante Arium Eccleſia credebat, & praedicabat idipſum, quod in Nicaeno Concilio contra Arium credendum ac praedicandum eſſe definivit. Si vero aliqui ex Antenicaenis Patribus minus accurate de myſterio ſanctiſſimae Trinitatis locuti ſunt, id forte tribuendum neceſſitati temporum illorum, cum ſcilicet diſputandum erat cum Ethnicis Philoſophis, quibus difficile ſuaderi poterat, quod Platonica principia aliquatenus non redolebat.

CAPUT QUARTUM.

Argumenta adverſus Liturgias S. Petri, Jacobi, Marci, & Matthæi.

Liturgia, quae S. Jacobo adſcribitur, tota referta eſt teſtimoniis deſumptis ex Epiſtolis, quarum plures non niſi poſt ejuſdem S. Apoſtoli Martyrium ſcriptae ſunt. Nec veriſimiliter dici poteſt, earum Epiſtolarum Auctores teſtimonia illa potius ex memorata Liturgia deſumpſiſſe, cum eadem per quinque integra ferme ſaecula delituerit, a nemineque per id tempus citata inveniatur. Nullus enim hujus Liturgiae meminit ante S. Pro-

clum Constantinopolitanum Episcopum, V. saeculo jam adulto. Postea saeculo VI. eamdem nomine S. Jacobi laudavit Concilium Trullanum *can.* 32. quod approbatum ab Ecclesia non fuit; & licet quantum ad dogmata ejus approbationem obtinuisset, inde minime sequeretur, quod Ecclesia tamquam genuinum Jacobi fœtum eam Liturgiam approbasset. Sunt certe in ea pauca quaedam a Christo, & Apostolis vere instituta, sed cetera omnia sunt plane diversa ab iis, quae leguntur in vetustissimis Ecclesiarum Orientalium Liturgiis, & quarum usus ad Apostolorum tempora revocatur.

Quod vero pertinet ad Liturgiam S. Petri, sic sane discurrendum. Talis Liturgia falso Principi Apostolorum tribuitur, & ratio potissima est, quia mentionem facit sanctorum Xysti, Cornelii, Cypriani &c. qui non nisi post elapsa duo ab Apostolis sæcula vixerunt. Insuper eadem præcipit, ut fiat oratio pro piissimis Imperatoribus, cum tam falsum sit, Apostolorum temporibus plures simul, eosque piissimos extitisse Imperatores. Præterea tam hujus Liturgiæ, quam illius S. Basilii idem est initium; & quod suppositionem apertius evincit, Canon Missæ Latinæ, quem S. Gregorius Magnus testatur compositum fuisse a Scholastico V. sæculi, integer legitur in Litur-

gia, quæ S. Petro adjudicatur, quæque edita est a Guilielmo Lindano Gandavensi Episcopo ex MSS. Graeco Biblioth. Card. Sirleti. Utrum vero hujusmodi Liturgiam, quae ex Missa Latina, & ex Graeca S. Basilii Magni conflata omnino videtur, vel Clericus quidam Italus, vel aliquis Monachus Basilianus composuerit, ut Nicolaus Nourry in apparatu ad Biblioth. maxim. veter. PP. putat se tuto conjicere.

In Liturgia S. Marci non minus concludentia sunt interpolationis, & additionis argumenta. Nam in ea oratio praescribitur pro Rege christiano, qui certe nullus erat eo tempore in Alexandrina Urbe. Quis porro credat S. Marcum Liturgiae suae inseruisse illam deprecationem: (Protege civitatem istam propter Martyrem tuum, & Evangelistam Marcum, qui nobis viam salutis demonstravit?)

Illa vero S. Matthaei nomine vulgata, quae etiam Æthiopica dicitur, plurima saltem continet, quae & posteriori aetate, & manu consequenter minime Apostolica fuerint eidem inserta. Talia quippe sunt invocatio duodecim Apostolorum, mentio epactae, aurei numeri, Festorum mobilium, & immobilium, allegatio Conciliorum Nicaeni, Constantinopolitani, & Ephesini: memoria SS. Athanasii, Gregorii, Basilii, Cyrilli, & Chrysostomi.

SATIS FIT OBJECT.

Antequam objectionibus respondeamus, sententiam P. Ambrosii Gardeboschi confutare putavimus. Auctor supra nominatus non solum negavit *Apostolicas* vel ex toto, vel ex parte esse *Liturgias*, quae modo Apostolis tribuuntur, sed ulterius contendit, nullam ab Apostolis scriptam fuisse formam Liturgiae; quamquam nequeat negari, eos brevi aliqua *Liturgia* usos fuisse, cum certum sit, certo quodam ritu, & ordine altaris mysterium celebrasse. Ceterum de usurpata ab Apostolis *Liturgia*, sive haec fuerit literis tradita, sive non, diversa est S. Gregorii Magni sententia ab illa Remigii Antisiodorensis. Ille *lib.* 7. *Epist.* 63. ad Joannem Syracusanum, affirmat morem Apostolorum fuisse, ut ad ipsum solummodo orationem Dominicam oblationis hostiam consecrarent. Hic *lib.* 1. *de celebr. miss.* cum retulisset, quasi ex recepta, sed parum verisimile, per illud tempus opinione, quod Petrus Apostolus primus omnium Antiochiae celebravit, subjungit, quod in hac Petri missa tres tantummodo orationes proferebantur, quae incipiebant ab eo loco, ubi dicitur = Hanc igitur oblationem = Ex his autem opinionibus posterior Gardeboscho magis proba-

tur; neque enim credendum, inquit, est, Apostolos nuda consecrationis protulisse verba; sed est verisimillimum, eos aliquas prius fudisse ad Deum orationes (non omissa omnium excellentissima, quam ex ore Divini magistri acceperant) antequam consecrarent, ut gratiam largiretur ad digne tractandum illud mysterium: item aliquas preces, quibus se se ad communionem disponerent, & denique aliquas, quibus pro accepto beneficio singulari Deo rependerent grates.

Si quaeras a Gardeboscho, unde constat, hunc ordinem celebrandi Apostolos usu quidem, & traditione fideles docuisse, non vero scripto consignasse? Respondet id constare ex profundissimo totius antiquitatis silentio, quod usque ad VI. Ecclesiae saeculum perseveravit. Si enim, ait, hujusmodi *Liturgiae*, etiam brevissimae extitissent, in serie scripturarum sacrarum fuissent repositae: saltem Origenes, & Hieronymus, exacti librorum scrutatores levem aliquam hujusmodi *Liturgiarum* mentionem fecissent: Concilia, quae numerum librorum sacrorum determinarunt, earum *Liturgiarum* meminissent: Damasus, & Gelasius eas saltem inter apocryphas rejecissent: Basilius & Chrysostomus, qui primi leguntur scripsisse *Liturgias*, fassi fuissent, se eas saltem ex parte exscripsisse ex Apostolo-

rum *Liturgiis*, ut majorem ipsis conciliarent auctoritatem.

Haec, ut liquet, omnia argumenta sunt negativa, quibus minime concludi videtur, quod intendit Gardeboschus; qui cum alioquin S. Dionysii Areopagitae opera ipse non rejiciat, fateri debet, in illis ordinem Missae tradi, qui ab Apostolis desumptus jure dici possit. Etenim Dionysius *cap.* 3. *Eccl. Hierarch.*, Liturgiam, quam ab Apostolis acceperit, magnifice prorsus describit: nec praetereunda est vetustissima alia S. Clementi Papae adscripta, quae forsan revocanda quoque sit ad Apostolorum tempora. Haec in *Constitutionum libro* continetur, atque de ea Morinus in *Praefat. part.* 2. *de sacr. Ordinat.* ita loquitur: (Constitutiones illas, quae vulgo Clementis nomine feruntur, censeo disciplinam esse Ecclesiasticam, qua Orientalis Ecclesia ante Constantinum I. sub Ethnicis Imperatoribus regebatur. Primus eas in ordinem ex ore, & mandatis Apostolorum exceptas redegit, & edidit Clemens; deinde successu temporis a Synodis Orientis auctae, primi Auctoris nomen constanter retinuerant.) Quod si ab aliquibus objicerentur pro defensione non orthodoxae sententiae, brevitas Liturgiae Apostolicae a D. Gregorio Magno asserta: advertere debent, etiam, qui hunc S. Doctorem praecesserunt.

Enim vero S. Chryfoftomus non ita brevem defcripfit ordinem Apoftolicum Miffae: nam *Hom.* 27. *in Epift.* 1. *ad Corint.* ait de Apoftolis loquens == Cum facras illas coenas accipiebant, quid tum faciebant? Nonne in preces convertebantur, & hymnos? Nonne in fanctas vigilias? Nonne in longam illam doctrinam & multae Philofophiae plenam? == Ex his verbis dignofcitur, aliqualem Liturgiae Apoftolicae cognitionem habuiffe.

Quid amplius defideramus a S. Proclo, qui in *lib. de Tradit. Divinae Liturgiae* fcribere non dubitaverit (Quod Apoftoli fufiffime, longoque verborum ambitu Miffam decantabant, multafque preces fundebant, impenfe Divinum implorantes Numen.) Sanctus Auguftinus *Epift.* 59. *ad Paulinum quæft.* 5. *alias Epift.* 149. *num.* 15. & *feq.* cum rogatus interpretaretur locum Pauli *ad Timoth. ex epift.* 1. *v.* 1. & 2. (Obfecro igitur primum omnium fieri obfecrationes, orationes, poftulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus, qui in fublimitate funt, ut qui etiam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caftitate.) Eligo, inquit, in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Ecclefia: == moxque fingula Apo-

ſtoli verba diverſis miſſæ partibus accommodat, ita ut *Obſecrationes* dicantur, quae fiunt antequam benedicatur, quod ſuper altare offertur: *Orationes* ſeu preces, quae funduntur cum benedictio adhibetur, & quod oblatum eſt ſanctificatur: *Poſtulationes* ſeu interpellationes, quae ſuper populum fiunt a ſacerdote plebem benedicente, & Dei miſericordiam ac potentiam invocante. Quibus peractis, Auguſtinus ſubjungit (explicans quidnam Paulus intelligat per gratiarum actiones,) & participato tanto ſacramento, gratiarum actio cuncta concludit: & haec miſſae pars ei, quae *poſtcommunio* hodie dicitur, ferme reſpondet. Unde non immerito dixit Pater Honoratus a S. Maria *tom.* 3. *Reſl. crit. lib.* 5. *diſſert.* 3. *art.* 2. §. 2. in allatis Apoſtoli verbis primitivam Eccleſiae *Liturgiam* deſcribi, ſecundum ea, quae eſſentialia praecipuave ſunt in auguſto Altaris ſacrificio.

Id ſane Auguſtinum ſenſiſſe, apertiſſimum eſt; liquidoque ex hoc infertur, vel etiam ab initio Apoſtolos uſos fuiſſe in myſteriorum celebratione, non pura ſolaque recitatione orationis Dominicae, una cum legitima conſecrationis forma; ſed perfecto ac pleno ordine *Liturgiae* quatuor velut miſſae partes complectente, quae ex Apoſtolorum uſu ac traditione, in omnibus ac ſingulis Ec-

clesiarum Liturgiis, semper & ubique invariatae quoad substantiam perseverarint: namque *Liturgiae* omnes ac singulae, sive grecae, sive latinae, sive quocumque alio sermone exaratae, has quatuor partes complectuntur, nempe *supplicationes* ante consecrationem; *orationes* in ipsa consecratione; *Postulationes* pro populi benedictione; & *gratiarum actiones* post sacrificii participationem.

Habemus ergo scriptam a Paulo Liturgiam, eamque paucis quidem sed essentialibus verbis expressam. Ultroque acquiescimus constanti omnium saeculorum traditioni, quae Petrum & Jacobum Apostolos, primos Liturgiae institutores agnoscit. Cujus traditionis expresse meminit S. Epiphanius *Haeres.* 79. quamquam non hos dumtaxat Apostolos, verum etiam alios, signanterque Andream, Joannem, & Mathiam, tum Paulum, & Barnabam, mysteriorum institutores appellat. Hinc forte diversae diversorum Apostolorum *Liturgiae* circumferri solitae, quae variis gentibus, verbo, vel scripto fuerint traditae. Et hae quidem tametsi purae minime conserventur, sed auctae, & interpolatae certo inveniantur, Apostolica nomina adhuc retinent, quod scilicet Apostoli fuerint, qui, quod in illis potissimum est, Ecclesiis tradiderint, ut inferius videbimus.

Verisimile visum est eidem P. Honorato, Liturgiam, quam juxta sanctum Proclum in scriptis relictam, Jacobus Ecclesiae tradidit, quamque ipsi Apostolo constanter tribuunt Graeciae, Syriaeque populi, cognitam fuisse S. Justino Martyri; atque hunc de Jacobi Liturgia loqui, quoties de incruento Altaris sacrificio in 2. *Apologia sua* mentionem facit.

Ex eadem Jacobi Liturgia desumptus videtur Ordo Missae descriptus a S. Cyrillo Jerosolymitano in *Catechesi Mystagogica* V. Quaecumque enim Cyrillus in *hac Catechesi* tradit, non aliunde, quam ex Jacobi Liturgia noscitur accepisse, ut jam pridem Baronius *ad Ann. Chr.* 63. adnotavit. = Quare Rivetus Romanae Ecclesiae & veritatis catholicae hostis infensissimus, qui tam Liturgiam Jacobi, quam Catecheses Cyrilli, nimis temere, ne dicam insane, tamquam spuria, & recens conficta monumenta, explodit; non tamen negat alteram ex altera scriptionem videri desumptam, quamvis homo alioqui in judicando audacissimus, affirmare non audeat, an *Liturgia* ex Catechesibus, vel potius Catecheses ex Liturgia fuerint descriptae. = Certe tanta est in utroque opere conformitas, ut quod attinet ad mysticum Sacrificii Altaris ordinem, nullus ritus, caeremoniave nulla in Catechesi illa V. exprimatur, quae in Jacobi Liturgia expressa non inveniatur.

CAPUT QUINTUM.

Catholicorum sententia de Jacobi Liturgia cum animadversione.

Sive ergo Jacobus ordinem Apostolicae Liturgiae verbo aut scripto primitivae Ecclesiae tradiderit, quam Patres Apostolici suis respective Ecclesiis commendaverint, ac SS. Justinus & Cyrillus nedum cognoverint, verum etiam suis lucubrationibus inseruerint; quod dici propugnarique haud improbabiliter posse, P. Honoratus proxime a nobis laudatus perspicue ostendit; sive eadem Liturgia, saltem prout modo extat, credatur apocrypha, longeque post Apostolorum tempora evulgata: hoc firmiter tenere debemus, nempe vetustissimum, atque Apostolis coevum esse illum Liturgiae ordinem, quem sanctus Justinus non ut a se inventum, aut recens apud fideles usitatum, sed ut antiquum, & ab initio receptum, planeque Apostolicum descripsit in 2. *illa Apologia* vere sua.

Quod vero Heterodoxi Justino eam Apologiam abjudicent, sicut abjudicant Cyrillo Catecheses, id omnino eorum temeritati tribuendum est, cui nihil est tutum, quod erroribus suis inveniatur adversum. Nollent enim testes habere, quos nequeant recusare,

adversus prava moderna que dogmata a se contra priscam Ecclesiae fidem, ausu plane haeretico invecta: videntque, nisi Justini, ac Cyrilli opera rejiciant, & errores suos funditus corruere, & catholicas veritates firmas immotasque consistere. Injuria igitur Ecclesiam ipsi calumniantur, quod praeter cruentum mortis Christi sacrificium, aliud Altaris seu Missae incruentum, & propitiatorium velut ex cerebro suo excogitarit, tamquam si hostiam a Pontifice nostro in cruce pro totius mundi salute oblatam insufficientem crederet ad omnium hominum redemptionem. Sed haec haereticorum calumnia aperte dissipatur, si Justini, ac Cyrilli testimoniis probetur, non aliud modo Ecclesiam sacrificium offerre, nisi quod ante XVI. ferme saecula consuevit celebrare: Illud videlicet, quod Malachias praedixit, cum ex persona Domini prophetavit. (In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.)

Magis magisque tamen firmabimus assertiones nostras, si de omnibus partibus Liturgiae modo rationem dabimus. Constanter tenendum est, quidquid in Liturgiis Ecclesiarum usu receptis praecipuum est ac essentiale, totum id ex Apostolica institutione profluxisse. Unde Apostolicae institutionis esse creditur: Primo usurpatio Hymni glorificationis, seu Gloria Pa-

tri, & Filio, & Spiritui sancto, qui non Monacho cuidam Antiocheno, ut Theodoretus *lib.* 2. *cap.* 24. & Sozomenus *lib.* 3. *cap.* 29. tradunt: nec Concilii Nicaeni Patribus, ut credidit Walfridus Strabo *de Reb. Eccl. cap.* 25. sed ipsis potius Apostolis adscribendus est, ut Baronius probat ad *ann.* 325. auctoritate S. Athanasii *lib. de Virgin. sive de Medit.* & S. Basilii *lib. de Spiritu sancto cap.* 7.

Secundo. Salutatio *Dominus vobiscum* Apostolicam agnoscit originem, id testante Concilio Bracarensi *can.* 21. *ad ann.* 563. (Placuit, inquiunt Patres, ut non aliter Presbyteri populum, sed uno modo salutent dicentes, *Dominus sit vobiscum*, & ut respondeatur a populo, *Et cum spiritu tuo*: Sicut & ab ipsis Apostolis traditum, omnis retinet Oriens, vel ut alii legendum putant, omnis retinet Occidens.

Tertio. Hymnus *Gloria in excelsis Deo*, cum integer recitetur, a S. Athanasio in laudato de sancta Virginitate versus finem, forte ab Apostolis, seu viris Apostolicis initium habuit; praesertim cum S. Telesphorus, qui ante medium secundi Ecclesiae saeculi floruit, constituerit ut ante sacrificium Hymnus dicatur Angelicus. Neque enim Telesphorus praefatum hymnum composuit, sed jam compositum invenit, ut bene probat Card. Bona

lib. 2. *Rer. Liturg. cap.* 4. *n.* 4. impugnans opinionem Sigiberti in Chronico, & Innocentii Tertii *lib.* 2. *de Myst. Missae cap.* 20. quae nullum habet fundamentum in libro Pontificali, ut Sigibertus perperam credit.

Male pariter a quibusdam sancto Symmacho Papae Hymnus ille tribuitur, cujus certe auctor non fuit, quamvis fortasse ordinaverit, ut omni die Dominico, vel Natalitiis Martyrum diceretur, qui antea in Missa tantum nocturna Nativitatis Dominicae cantari soleret, quod probabile est Telesphorum decrevisse. Patres Concilii IV. Toletani circa *An.* 633. *can.* 12. caute scripsere, reliqua, quae sequuntur post verba Angelorum, *Ecclesiasticos Doctores composuisse*, nec rem altius petendam credidisse videntur.

Quarto. *Collectas*, seu *Orationes*, quae de more in sacrificio Missae dicuntur, Caelestinus *Epist. ad Galliar. Episc. cap.* 11. Apostolicae institutionis esse credidit cum scripsit: (Obsecrationum sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur.) Usus etiam Apostolici esse videtur contestatio populi, seu responsio *Amen*, cujus meminit S. Paulus 1. *ad Corinth. cap.* 14. quaeque continetur in vetustissimis Ecclesiarum Liturgiis, ut constat ex S.

Justino *Apolog.* 2. & S. Hieronymo *Praef. lib.* 2. *in Epist. ad Galat.*

Quinto. De lectione Epistolae, quae Apostolus antiquitus dicebatur, non est improbabilis opinio Walfridi Strabonis, qui *cap.* 22. dispositam credit a primis successoribus Apostolorum: idque valide confirmatur illis verbis Justini: *Commentaria Apostolorum, & scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur.* Consona sunt, quae Tertull. *in Apolog. cap.* 39. & S. Cyprianus *Epist.* 33. & 34. scripta nobis reliquerunt.

Sexto. De Evangelio dubitare fas non est, ipsum ab initio nascentis Ecclesiae legi solitum, cum Eusebius *lib.* 2. *Histor. cap.* 15. diserte affirmet, Apostolum Petrum Marci Evangelium sua auctoritate comprobasse, ut deinceps in Ecclesiis legeretur. Vetustissima quoque traditione receptum erat, ut Episcopi homilias ad populum haberent, quibus Evangelium fidelibus exponerent; hujusque usus antiquissimi forteque Apostolici testes sunt locupletissimi S. Justinus in *Apolog.* 2. Origenes, S. Hilarius, aliique veteres Patres.

Septimo. Quid in sacrificio offerendum sit, ab Apostolis Ecclesiam didicisse, perspicuis verbis testantur non solum laudatus Justinus, verum etiam sancti Irenaeus, & Cyprianus. Unde PP. Concilii Carthaginensis III. *can.*

24. decreverunt, *ut in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panem, & vinum aqua mixtum.*

Octavo: *Præfationes* vel ab Apostolis, vel a Viris Apostolicis fuisse institutas, usuque ab Ecclesia primis saeculis receptas, forte non improbabiliter autumat Card. Bona *lib.* 2. *cap.* 10. *art.* 1. Longe tamen probabilius est, verba illa *Sursum corda &c.* quae Praefationes praecedunt, ab ipsis Apostolis Ecclesiam accepisse, testimoniis S. Cyrilli *tract. de Orat. Domin.* S. Basilii, S. Joannis Chrysostomi, & S. August. *lib. de Viduit. cap.* 16. & *lib. de bono perseverantiae cap.* 13.

Nono: Ipsum *Missæ Canonem*, qui insignis est pars ejusdem, ex Apostolica traditione Ecclesiam suscepisse, conceptis verbis testatur Vigilius Papa *in Epist. ad Eucher.* idque confirmat Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 4. ubi constare *Canonem* docet ex ipsis Domini verbis, ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum Pontificum institutionibus. Quare audiendi non sunt, qui *Canonis Missae* auctorem faciunt vel Gelasium Papam, vel Gregorium Magnum, vel Musaeum Presbyterum Massiliensem, vel Voconium Episcopum Castellanensem in Mauritania.

Decimo. Apostolicae quoque traditionis

est, ut omnes in commune pro diversis necessitatibus preces fundant ad Dominum, pro Rege, & Episcopis, & Rectoribus Ecclesiarum, pro pace, pro peste, pro infirmis, pro nuper defunctis, ut habemus ex *Concilio Aurelian. apud Ivonem cap.* 120. quo respiciens Tertullianus dixit *ad Scapul. cap.* 2. Sacrificamus Deo pro salute Imperatoris: & Optatus Milevit. *lib.* 3. *Merito* Paulus *docet orandum pro Regibus, & potestatibus, etiamsi talis esset Imperator, qui gentiliter viveret.*

Undecimo. Preces, quae consecrationem praecedunt, sicut & voces illas in consecratione, *æterni Testamenti*, & *Mysterium Fidei*, ex Apostolica traditione acceptas monet Innoc. III. *lib.* 4. *Myster. Missae cap.* 15. quod ante illum luculentissime docuit Magnus Basilius, cum dixit *lib. de Spiritu sancto cap.* 27. (Invocationis verba, cum conficitur panis Eucharistiae, & poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? nec enim his contenti sumus, quae commemorat Apostolus, aut Evangelium; verum alia quoque & ante, & post dicimus, quasi multum habentia momenti ad mysterium, quae ex traditione citra scriptum accepimus.

Duodecimo. Inter ea autem, quae ex traditione accepta sunt, recte numeratur Ora-

tio pro Defunctis, cum diserte asserat Chrysostomus *hom. 69. ad popul. Antioch.* = Non temere ab Apostolis haec sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis Defunctorum agatur commemoratio. = Morem hunc Apostolos ipsos fideliter custodisse testatur S. Greg. Magnus *lib. 7. Epist.* 64. post SS. Cyrillum Jerosolymitanum, & Augustinum.

Decimotertio. Apostolorum etiam mos fuit sacram hostiam in sacrificio dividere; atque id cum per panis fractionem & in Evang. Lucae, & in Epist Pauli *I. ad Corinth. cap.* 10. tamquam a Domino institutum tradatur, mirum non est, quod ab Ecclesia fuerit inviolabiliter custoditum: propterea enim Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Stromat.* de Presbyteris loquens dixit = Cum Eucharistiam, ut mos est, diviserint, permittunt unicuique ex populo ejus partem sumere. =

Decimoquarto. Elevationem manuum, & oculorum, & inclinationem corporis fuisse caeremonias in primo Ecclesiae saeculo observatas, facile fidelibus suadent Doctores catholici exemplo, & auctoritate Christi, & Apostolorum, & Evangelistarum.

Decimoquinto. De osculo pacis ante sanctam communionem expresse loquitur S. Dionysius; & Tertullianus *de Orat. cap.* 14. hujus ritus institutores Apostolos agnoscit.

Decimosexto. Orationum terminatio illa = Per omnia saecula saeculorum = quae frequentissime in omnibus Liturgiis repetitur, ab ipsis Apostolis inventa ab Irenaeo asseritur. Denique quaecumque in Liturgiis quibuslibet inveniuntur, & nullo fere discrimine ab universis Ecclesiis usurpantur, Apostolica esse omnino credendum est, ut recte monuit Tillemontius. Similiter Apostolica asserimus, quae a S. Dionysio Areopagita *in lib. de Eccl. Hierarch.* traduntur, in quibus sunt 1. Lotio manuum Sacerdotis in Altari: 2. Thurificatio, cujus etiam mentio fit *can.* 4. *Apostolorum*: 3. Sacra Psalmorum melodia: 4. Recitatio Symboli, de quo accipienda sunt illa Dionysii verba = Praeconfessa ab omni plenitudine universalis Ecclesiae Hymnologia: = Pro usu Hymnologiae in ipso Ecclesiae exordio extat apud Plinium minorem *lib.* 10. *Epist.* 97. locus insignis merito conferendus cum allatis ab Eusebio *in Historia Eccles. lib.* 5. *cap.* 28.

Post expositas partes Liturgiae, sive sacrificii Missae, modo tractandum superest de Liturgiis singularum Ecclesiarum.

CAPUT SEXTUM.

LITURGIAE SINGULARUM ECCLESIARUM.

De Liturgia AEtiopica, & Coptica.

Liturgiam AEtiopicam, & Copticam, ex illis SS. Basilii, & Chrysostomi esse concinnatam, ab iisque fere non diversam censet Cardinalis Du-Perron *tract. de Euch. lib. 2. in respons. ad objectiones ex Liturgiis desumptas cap.* 1. loquens de AEtiopibus, & Coptis a communione Romanae Ecclesiae avulsis. Michael Vanslebius in *Epist. praefixa Lexico AEtiopico*, Ludolphi indicem texuit librorum AEtiopica lingua scriptorum, atque priori loco recenset librum Liturgiarum, ex quibus primus adscribitur S. Joanni Evangelistae, 2. Patribus orthodoxis 318, hoc est integro Concilio, 3. S. Epiphanio, 4. S. Jacobo Episcopo in Syria, 5. S. Joanni Chrysostomo, 6. exhibetur sine auctoris nomine, 7. SS. Apostolis indiscriminatim, 8. S. Cyriaco, 9. S. Gregorio, 10. impio Dioscoro Patriarchae Alexandrino.

Quae vero in usu est apud AEtiopes *Liturgia* nihil ferme discrepat a Graeca. Porro

hanc unicam non esse, sed multiplicem, constat ex Abrahamo Ecchellensi, qui in *notis ad Catal. Hebed. Jesu pag.* 134. testatur se Liturgias Orientalis Ecclesiae plusquam 50. vidisse; iisque nonnullas addit diversas Gabriel Sionita. Omnes tamen in paucis minusque praecipuis differre ab illis SS. Basilii, & Chrysostomi, conveniunt inter rerum Liturgicarum Scriptores.

ARMENORUM.

Ceterum Armeni, qui proprio idiomate sacra conficiunt Mysteria, & Maronitae, qui Libanum Montem incolunt, Azymo pane in sacrificio utuntur, nec in aliis Ritibus cum Graecis prorsus conveniunt.

GRAECORUM.

Graecorum autem Ecclesiae Chrysostomi Liturgiam quotidie sequuntur, exceptis Quadragesimæ Dominicis, praeter illam Palmarum, Feria quinta, & Sabbato sancto, vigiliis Nativitatis, & Epiphaniae, & Festo S. Basilii, quibus diebus Basiliana Liturgia in usu apud Graecos est.

SYRIACA.

Liturgiam Syriacam Jacobitarum, omnino esse orthodoxam, adeoque antiquam, ut ad tempora Apostolica jure possit revocari, opinio est virorum criterio insignium.

LITURGIAE ECCLESIARUM OCCIDENTALIUM.

De Occidentalis Ecclesiae Liturgiis plura scitu digna observant Baronius, & Bellarminus; atque ex Neotericis Card. Bona, Mabillonius, Morinus in *oper. de Sacram. Ordinat. part.* 2. Card. Thomasius in *codice Sacramentorum*, Edmundus Martene, & Ursinus, Durandus in *Thesauro Anecdotorum tom. V*. Horum autem omnium potiora in *Critica sua* delibavit Pater Honoratus a S. Maria *lib.* 5. *dissert.* 3. *art.* 3. qui est de Liturgiis Ecclesiae Latinae. Ibi perdoctus piusque criticus agit 1. de Missa Ecclesiae Romanae, 2. de Missa antiqua Gallicanae Ecclesiae, 3. de Liturgia Mozarabica, 4. de Liturgiis Affricanis, 5. de Liturgiis Ecclesiarum Angliae, 6. de Missa Latina a Mathia Flacco Illirico anno 1557. publicata. De his omnibus nos etiam breviter tractabimus, & ordine supra posito.

DE LITURGIA ECCLESIAE ROMANAE.

Liturgiam, ſeu Miſſam Eccleſiae Romanae plura, eaque praecipua continere, quae ex Apoſtolica traditione, ac praeſertim ex ipſius Principis Apoſtolorum inſtitutione recepta fuerint, dubitare utique non licet. Nec propterea contentioſe propugnamus, S. Petrum ſcripto tradidiſſe librum aliquem Liturgiae, qui vel temporum injuria perierit, vel extet adhuc quamvis interpolatus, magnaque ex parte corruptus in aliqua ex *Liturgiis*, quae S. Petri nomine circumferuntur. Probe enim novimus ex illis alteram a *Canone Gregoriano* ferme non diſtingui, alteram vero coaleſcere ex praefato *Canone*, & Liturgia S. Joannis Chryſoſtomi, & ſingulas ſingulis Graecis ſciolis haud infundate attribui. Ceterum valde improbabile exiſtimamus, quae S. Petrus inſtituit, & vel ſcripto, vel verbo docuit, ea S. Clementem Papam Eccleſiae ſibi concreditae intemerata communicaſſe, ac literis in ſua illa apud veteres famigerata Liturgia poſteris conſignata reliquiſſe. Licet enim hocce Clementinum opus aut omnino fuerit deperditum, aut ſi adhuc extet, non niſi admo-

dum depravatum, quod visum est eruditissimo P. Ludovico Du-Mesnil *lib.* 3. *cap.* 12. illud olim incorruptum habuit Ecclesia, ex eoque hausit, quae ipso usu quotidiano ad haec usque nostra tempora retinuit. Quare prorsus verum est quod S. Isidorus *lib.* 1. *de Eccl. Offic.* dixit, nempe = Ordo Missae, vel rationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum a S. Petro est institutus. = Et quod Walfridus *lib. de Reb. Eccl. cap.* 22. his verbis expressit = Et Romani quidem usum observationum, a B. Petro Principe Apostolorum acceperunt. Quorum morem ideo in sacris rebus tam multae gentes imitantur, quia & tanti magisterii ex apice Apostolico primordiis clarent. =

Quod vero S. Clemens = summi illius Apostolorum Principis Discipulus, & successor sacrosancta illa mysteria a sanctis Apostolis sibi revelata, in lucem ediderit, diserte totidemque ferme verbis testatus est Proclus *in lib.* 7. *de Tradit. Divinae Missae*. Unde sapienter circumspecteque loqui Bellarminus nobis videtur, cum scribit: (De Liturgia S. Clementis idem fere dicendum occurrit, quod de Liturgia s. Jacobi, eam vere Clementis esse, sed a posterioribus auctam: credibile antem est, Clementem non ex proprio judicio, sed ex ritu, quem ob-

servari viderat a S. Petro, Liturgiam composuisse: quemadmodum & ipse S. Petrus nihil aliud faciebat in offerendo sacrificio Eucharistico, nisi quod ipse Dominus fieri jusserat. Meminerunt Liturgiae S. Clementis Proclus Patriarcha Constantinopolitanus *lib.* 7. *de tradit. Divinae Missae*, & Nicolaus Episcopus Methonensis *in lib. de veritate Corp. Christi*, & Cardinalis Bessarion *in lib. de sacr. Eucharistiae*).

DE LITURGIA GALLICANA.

Liturgiam peculiarem veteres Gallos habuisse, qua Gallicanae Ecclesiae uterentur, antequam Romanos Ritus ab illorum temporum Gallicanis longe diversos admisissent, pene exploratum habetur apud recentiores Eruditos, auctoritate Hilduini in *Epist. ad Ludovicum Pium in Areopagiticis*. Imo Cardinalis Tomasius in *codice Sacramentorum*, Mabillonius *libr.* 3. *de Liturgia Gallic.* & Card. Bona *de reb. Liturg. lib.* 1. *cap.* 12. tres Gallicanas Liturgias distinguere videntur, nempe Gallicam, Francicam, & Gallicanam veterem, quae a Gelasiana diversa non erat, vel erat ex Gelasiano, & Gregoriano codice mixta.

Haec autem distinctio nec a Scriptori-

bus satis clare explicatur, nec a P. Honorato rata, firmaque habetur. Fatetur quidem hic auctor, Alcuinum ex Gelasiano, & Gregoriano Missae ordine unum Missale composuisse; negat tamen, eo usos fuisse Gallos. Nec Mabillonii sententiam admittit, asserentis *cap.* 12. *art.* 5. *lib.* 1. Veterem Missam Gallicanam ei similem fuisse, quae Toleti, & per universam Hispaniam, atque etiam in Gallia Narbonensi in usu fuit. Nam alia, inquit, erat Liturgia vetus Gallicana, alia Liturgia Gallicano-Gothica, quam cum Hispanicis Ecclesiis communem habebant illae Galliarum Provinciae, quae Gothorum parebant dominationi.

Utrum vero vetus Gallorum Liturgia vel Musaeo Massiliensi Presbytero, qui circa ann. Chr. 450. librum *Sacramentorum*, seu uti Mabillonius interpretatur ex consueta apud veteres phrasi, *de Mysteriis Eucharistiæ* conscripsit, tribuenda sit; vel Sidonio Apollinari, qui teste s. Gregorio Turonensi librum edidit *de Missis*, prudentius dubitatur, quam asseritur.

Possetque forsan haud improbabiliter affirmari, veterem illam Liturgiam Gallicanam, in qua passiones Apostolorum, ac Martyrum succinte commemorabantur, desumptam magna ex parte fuisse ex lib. *Hymnorum*, &

ex alio *Mysteriorum* s. Hilarii, quorum S. Hieronymus expresse meminit. Et quidem testatur Alcuinus in *lib. de Divin. off.* Hymnum *Gloria in excelsis Deo* a B. Hilario Pictaviensi postea auctum, & consummatum esse: quam additionem Athanasius forte viderit, qui, uti superius monuimus, integrum Hymnum recitavit.

DE MOZARABICA.

De Liturgia Mozarabica, quae forte ab Affricanorum communi Liturgia ferme non sit diversa, ut suspicantur Card. Bona, & Thomasius, nec non Pater Mabillonius, agit compendiose P. Honoratus a S. Maria §. 4. variisque conjecturis probare conatur, eam in usu fuisse apud Hispanos ante S. Isidorum, quem proinde ejus Liturgiae auctorem agnoscere renuit, quidquid Card. Baronius judicaverit, deceptus forte falso titulo eidem Liturgiae praefixo, nempe = Officium Gothicum, sive mixtum secundum regulam S. Isidori dictum Mozarabes. = Caveus in *Histor. Literar. ad ann.* 583. eamdem Liturgiam melioribus conjecturis attribuit S. Leandro Hispalensi Archiepiscopo; quem non parum laborasse in ordinando Missae officio, idem S. Isidorus frater testatur in *lib. de script. Eccl.*

cum tamen nihil simile affirment de Isidoro, aut Braulio Caesaraugustanae Ecclesiae sanctissimus Antistes, aut Ildephonsus Toletanae Praesul praeclarissimus.

Nos tamen libenter complectimur judicium P. Gasparis Sanchez, qui *tract.* 3. *de praedicatione S. Jacobi cap.* 11. *num.* 3. censet, Hispanam primitivam *Liturgiam* ab Apostolis derivatam Hispanos ipsos accepisse per septem Apostolorum Discipulos, a S. Petro Episcopos ordinatos, & Ecclesiis Hispaniarum praefectos. Et profecto ab illis inductum esse illum orandi modum, quem in officio Mozarabo videmus, quemque Isidorus accurate servavit, docent Julianus, & Felix Toletani Praesules. Nec propterea diffitemur veteri Hispaniarum *Liturgiae* in non substantialibus plura fuisse addita a Leandro, ab Isidoro, ab Ildephonso, & a Juliano, qui obiit an. 728. Nam & hoc factum pariter constat cum omnibus sive Latinis, sive Graecis Liturgiis, & cum ipsa vetustissima omnium Romana, quae licet ex Apostolica traditione credatur accepta, multas sane mutationes successu temporis subiit, & aliter a Gelasio, aliter a Gregorio in accidentalibus fuit ordinata. Quapropter Cardinalis Bellarminus *tom.* 2. *Controv. lib.* 2. *de Missa cap.* 19. sapienter dixit = Licet quaedam Litur-

gia dicatur Basilii, alia Chrysostomi, alia Ambrosii, alia Gelasii, seu Gregorii (nostra videlicet Romana) alia Isidori, non tamen isti Auctores *Liturgiam* de integro composuerunt, sed solum eam, quae suo tempore erat in usu, ad meliorem formam redegerunt, vel detrahendo, si quid irrepserat minus conveniens, vel addendo aliquid pro temporum varietate; sic tamen ut substantiales partes *Liturgiæ* ab Apostolis institutae integrae remanserint =.

Unde Anastasius Bibliothecarius in vita Gelasii scribit, quod hic Papa = Fecit Sacramentorum praefationes, & orationes =: inde vetus Liturgia propter additiones a Gelasio factas appellari coepit (Codex Gelasianus.) Codex hic duobus tomis distributus visus est Magno Gregorio aliquantulum longior, quam oporteret: ideoque ex eo multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla superadjiciens, in unius libelli volumine coarctavit quod ex tunc *Sacramentarium* Gregorii nuncupatum est, uti referunt Joan. Diaconus *in vita S. Greg.* & Berno Angiensis *in libello de reb. ad mis. pertinentibus cap.* 1.

Habuit procul dubio Roma ante Gregorium, & Gelasium, suam Liturgiam ab Apostolis verbo traditam, ac verisimiliter scripto acceptam a S. Clemente Petri successore: atque ea probabiliter esse creditur, quae ha-

betur in constitutionibus Apost. illius nomine divulgatis: nam hic liber *Constitutionum* tametsi dubiae fidei sit, D. Epiphanio teste, *haeres.* 70. *n.* 10. (non est tamen improbandus: nam in eo, quae ad Ecclesiae disciplinam attinent, omnia comprehenduntur: neque quidquam aut in fide, ac catholica professione depravatum, aut Ecclesiae administrationi, ac decretis contrarium continet.) Neque illi duo Pontifices primi fuerunt, qui originalem Liturgiam in multis vel additione, vel accidentali aliqua mutatione alterarunt: unde ante tempora Gelasii, Alexander primus ex traditione Apostolica, quæ forte tunc non esset satis vulgata, decrevit, ut aqua vino admisceretur in Sacrificio. Sixtus I. Seraphicum Trisagium Missae addidit. Damasus I. Hispanus, qui floruit post medium saeculi IV. symbolum Nicaenum in Missarum solemniis canere praecepit, uti refert praecitatus P. Honoratus ubi supra §. 1. Sed Cardinalis Bona *lib.* 2. *de reb. Liturg. cap.* 8. *n.* 2. hunc morem Orientalium fuisse testatur = quem postea Hispani primi inter Latinos receperunt =.

Constat autem Hispanos symbolum proferre coepisse ex Decr. celeberrimi Concilii Toletani III. 65. Episcop. quod proinde Nationale appellant, celebratumque est sub Re-

caredo Rege catholico ann. 589. Alii Damaſo adſcribunt additionem *Gloria Patri* pro fine cujuſque Pſal. Off. Divini. Denique alii alias circa publica officia leges ſanxerunt; nec propterea Liturgiam quoad ſubſtantiam mutarunt.

Et Hiſpania quidem adeo ſtudioſa tenaxque fuit in conſervando officiorum ordine, quem ab Apoſtolicis viris ab initio accepit, ut non defuerint ſcrupuloſi, qui nolebant canere in Eccleſiis aliquos Hymnos in laudem Dei a ſanctiſſimis viris compoſitos (eos ſpecialiter reprobantes pro eo, quod de ſcripturis ſanctorum Canonum, vel Apoſtolica traditione non exiſtant), ut refertur *can.* 13. *Concil. IV. Toletani 62. Epiſcop. ſub Siſenando Rege an.* 633. Synodus ad ſedandas ſcrupuloſas conſcientias ſtatuit, = ut ſicut orationes, ita & hymnos in laudem Dei compoſitos nullus ulterius improbet =.

Praefuit huic Concilio Iſidorus: & quia in eo plura circa Divina officia ſunt ordinata, *Decretis* 2. 5. 7. 9. 10. 11. 12. 13. *& aliis ſequent.* ex hoc exteri inferre voluerunt Hiſpanae Liturgiae auctorem fuiſſe Iſidorum. Verum hi facile videre potuerunt in eodem Concilio plurima referri veteris *Liturgiae*, quae neque Iſidorus, neque Concilium ipſum ordinavit, ſed ordinata ac in uſu recepta in-

venit. Certe Synodus III. Toletana celebrata plusquam 40. ann. ante IV. quae Apostolorum symbolum ante orationem Dominicam recitari decrevit, nequaquam Liturgia caruit: nec Ecclesiae Hispaniarum, quae ab ipso Ecclesiae Christi nascentis exordio fidei laude claruerunt, sacramentorum ordinem ac sacros ritus ignorarunt.

Rursus in Hispania *Liturgia*, quae postea dicta est *Gothica* sub Gothis Regibus, subinde *Mozarabica* sub Arabibus: (simili modo P. Thomas, & Pater Mabill. pro Galliarum Ecclesiis nominant Missale *Gallicanum* vetus, Missale *Francorum*, & Missale *Gothicum*, quod in usu fuit in Ecclesiis Galliae Narbonensis, quae Gothis Hispaniarum Regibus parebat) quinto saeculo jam erat vitata; nam is, qui eidem addidit Missam S. Martini Episcopi Turonensis, qui obdormivit in Domino an. 402. in oratione propria haec verba apposuit == Hunc virum, quem aetatis nostrae tempora protulerunt, jubeas auxilium nostris ferre temporibus ==.

Neque hic sistenda Hispanae *Liturgiae* vetustas. Nam ut permittamus modo Galliarum Criticis (quod illis nimium videtur placere) neque Jacobum, neque Paulum, neque alios ullos Apostolicos viros Hispanias peragrasse, aut Ecclesias in illis instituisse;

constat sane ex Tertulliani testimonio ad Scapul. *c.* 4. christianam fidem suo tempore in Hispaniis triumphasse: de Hispania enim loquitur, ubi dicit: = A Praeside Legionis vexatur hoc nomen =. Rursus constat ex S. Irenaeo *lib.* 1. *cap.* 1. Ecclesias tunc temporis in Hispania fundatas: unde scribit: = Fundatae Ecclesiae, quae in Iberis sunt =. Constat demum ex S. Cypriano, quod sua aetate Hispanus Clerus florebat; ideo Clero populoque Hispano epistolam, quae 64. est, transmisit. Haec certa apud omnes sunt. Et tamen Critici, qui fidem, Clerum, fundatasque in Hispaniis, prioribus saeculis, Ecclesias negare non possunt, Fundatores negant Ecclesiarum; & cum de fructibus dubitare nequeant, de arboribus dubitant.

De illis Ecclesiis tempore S. Irenaei in Hispaniis fundatis doceant nos aliquid adversarii nostri eruditissimi. Quales ipsi Fundatores Ecclesiis illis assignant, siquidem assignatos a nobis negant? Qua Liturgia usus est Clerus ille Hispanus D. Cypriano notissimus? Numquid adeo infelicem dicemus, ut nec Patres habuerit Apostolos, nec ab his edocta mysteriorum arcana aliqua didicerit via? Et quo pacto adeo firma fuit semper fides Hispanorum, si superaedificati non sunt super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum?

Hiſpani (inquiunt) Jacobum agnoſcimus uti praecipuum noſtrarum regionum Apoſtolum : ab eo jacta noſtrae fidei fundamenta unanimiter profitemur .

Sed Hiſpani , inquit Calmet (nullum ſatis firmum fundamentum ad haec probanda exhibent.) Ita ſit , quoniam ſic Criticis placet (reſpondet pro omnibus Reverendiſſimus Pater. Michael Epiſcopus Guadenſis Matritanus in ſua Bibliographia critica) ſed ipſi minime crederent , eſto Hiſpani firmiora adducerent , & affert exemplum . Supponamus, inquit , Jacobum majorem , de quo nobis eſt ſermo , aliquam canonicam epiſtolam ſcripſiſſe , atque in ea ſemel iterumque promiſiſſe iter ad Hiſpanias capeſſere . Supponamus inſuper de Jacobi profectu ad Hiſpanias luculenta dediſſe teſtimonia & S. Athanaſium , & S. Cyrillum Hieroſolymitanum , & S. Epiphanium, & S. Joan. Chryſoſtomum, & Theodoretum , & S. Gregorium magnum , & Ven. Bedam cum aliis ; at S. Hieronymum in *cap.* 11. *Iſaiae* etiam modum profectionis in hunc modum narraſſe : == in Hiſpaniam alienigenarum portatus eſt navibus == ; modo inquirimus : Numquid adverſariis iſta ſufficerent, ut Jacobi adventum in Hiſpaniam crederent ? neutiquam ; & ratio in promptu eſt ; namque iſta omnia Hiſpani allegamus , ut prae-

dicationem Pauli per Hiſpanias probemus; & tamen moderni Critici, ut Du-Pin, & Tillemont cuncta haec flocci faciunt: imo & Paulum ipſum tacite reprehenſibilem ſupponunt; ſi enim Apoſtolus futurorum inſcius promiſit Hiſpaniam adire, oportebat juxta monitum Jacobi *cap.* 4. adjungere = Si Dominus voluerit, aut, ſi vixero, ad Hiſpanias proficiſcar =.

Pater Honoratus a S. Maria loco ſupra citato exiſtimat officium *Gothicum*, ſeu *Mozarabicum* nonniſi ineunte ſaeculo VI. fuiſſe compoſitum: & hanc ſuam opinionem inde deducit, quod conſtet ex Braccarenſi Concilio ann. 408. celebrato, Profuturum illius ſedis Epiſcopum accepiſſe a Romana Eccleſia ordinem celebrandi Miſſam. Hujuſmodi Concilium erutum *ex lib. 6. Monarchiae Luſitanae* P. Bernardi de Britto, Monachi Ciſtercienſis *cap.* 2. poſtea recuſum eſt a Philippo Labbè in recenti Conciliorum editione Pariſienſi abſque nota ulla; & ſuſpectae fidei habetur apud nonnullos ſcriptores. Nihilominus aſſumptum Auctoris ſufficienter probatur ex can. 4. alterius ſynodi Braccarenſis habitae ann. 560. aut 563. ſub Ariamiro Rege catholico, in quo ita decernitur: = Item placuit ut eodem ordine Miſſae celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quon-

dam hujus Metropolitanae Ecclesiae Episcopus ab ipsa Sedis Apostolicae auctoritate suscepit scriptum ═. Ex hoc canone, inquit Auctor, duo concluduntur: 1. Quod Ecclesiae Hispaniarum saeculo V. Romanos ritus acceperunt. 2. Quod nonnisi hoc saeculo V. elapso Gothicum Missale habuerunt. Videtur tamen nobis neutrum concludi.

Non primum, quia can. Concilii octo Episcoporum non obligavit omnes Ecclesias Hispaniarum, quarum Antistites saepe in unum convenientes ad celebranda sacra commitia, numquam Romani officii meminerunt; nec verisimile est, illud semel acceptum, reliquisse, & nullibi talem ac tantam mutationem commemorasse. Praeterea ex allegato canone constat quid a Synodo illa Provinciali circa propriam Provinciam fuerit dispositum, minime autem, an id fuerit executioni mandatum: quare sicut contigit, quod Ecclesiae Provinciae Braccarensis nondum accepissent officium Romanum eo tempore, quo canon iste editus est, licet Profuturus ante 50. annos illud susceperit; ita similiter potuit accidere, quod nec post dictum canonem, ejusdem officii usus invaluerit adhuc in Ecclesiis Braccarensis Metropolis.

Concilium Illiberitanum, seu Eliberitanum in Hispania, quod non tardius, quam

ann. 324. celebratum fuit, can. 29. praecepit (Energumenum, qui ab erratico ſpiritu exagitatur, hujus nomen neque ad Altare cum oblatione eſſe recitandum :) ubi Synodus conſuetudinem ſupponit recitandi nomina Benefactorum, quam recitationem Diaconus faciebat, vigebatque in Eccleſia Africana tempore S. Cypriani, ut liquet ex illius 10. & 60. epiſtolis. Haec actio dicebatur = Nomen offerre =; quae videtur vitiata quondam fuiſſe aliqua vana oſtentatione, quandoquidem illam redarguit D. Hieronymus *lib.* 2 *in Jerem. cap.* 11. dicens : = Nunc publice recitantur offerentium nomina, & redemptio peccatorum mutatur in laudem =. Olim offerentium nomina recitabantur, antequam Sacerdos ſuper oblationem preces funderet : poſtea Innocentius I. can. 2. inverſo ordine fieri mandavit. Enim vero can. ille Illiber. non videtur uſu in Hiſpaniis receptus; ſiquidem poſt 300. circiter annos adhuc offerentium nomina abſque Energumenorum exceptione elata voce pronunciabantur, ut conſtat ex S. Iſidoro Epiſc. ad Ludifredum Cordub. Epiſc. in cap. *Porrectis* 26. *diſtinct.*

Dato etiam gratis quod Eccleſiae Braccarenſis Provinciae, nec ipſae ſolae, ſed univerſae totius Hiſpaniae Eccleſiae ſaeculo V. communi uſu recepiſſent Romanum Miſſale:

quo pacto ex hoc antecedente, liberaliter permisso, inferre potest P. Honoratus, nondum per id tempus extitisse Missale illud Hispanum, quod multo post appellatum est *Gothicum*? Hispani quidem dum Romanum officium acceptarunt, aliud sane reliquerunt: neque enim sine ullo officio sacra peragebant: & cur Missale tunc relictum esse nequivit, quod *Gothicum* postea est nominatum? Etenim citra controversiam est, eodem quoque scriptore annuente, ordinem Romani officii usu in Hispania receptum sub Alphonso VI. Rege catholico circa an. 1080. Hoc tandem ab Hispanis obtinuit urgentissima jussio S. Gregorii VII. reluctantibus diu fidelibus, quibus grata erat religiosa propriae gentis disciplina, caelesti etiam signo comprobata, ut ex historiis Toletana, & Compostellana probant Roder., Deza, Mariana, Sandoval, Morleta, Pisa, Henao, aliique plures apud Marchionem Mondexar, qui igne examinatum, probatumque scribunt officium Gothicum, utpote in doctrina purissimum, ac in sacris caeremoniis valde mysteriosum, quod Card. Baron. ingenue fassus est in Martyrol. Idibus Maji: neque toleranda hac in parte facilis negatio doctissimi Cardinalis Bonae, qui tantorum testimonia contemnit, non alia ratione, nisi quia ita libet; prodendus quo-

que est Zuritae lapsus, qui insigni parachronismo illud Papae Gregorii VII. effatum = illusionem Toletanam = quod in literis ad Ronimirum pro *officio Romano* datis continetur, ad ignis assertam probationem refert, quae multo post easdem literas accidit: caeterum, Romano officio ab Hispanis accepto, adhuc permansit, hactenusque perseverat Gothicum omnino purum, quod inconsultius negarunt Spondan. & Natal. Alexand. in *selecta historia p.* 1. *saec.* 1. *disser.* 14. eoque proinde hac nostra aetate utuntur sex Toletanae Urbis paroeciae, nempe S. Luciae, S. Sebastiani, S. Justae, S. Antonii, S. Eulaliae, S. Marci, & capella Card. Ximenes. In ipsa primaria Hispaniarum Ecclesia Salmanticae quoque, ubi sapientia (Hispanorum axioma) velut in proprio domicilio moratur, certis anni diebus Mozarabo ritu sacrum absolvitur. In Civitate etiam Marochii Tingitanae Regionis sub Jacob Almansor, Hispani, qui ad Regis hujus custodiam adsciti fuerunt an. 1170. eodem ritu sacra mysteria celebrarunt.

Utrum Liturgia Mozaraba eadem sit cum Gallicana veteri, ut Cardinalis Bona supponit, vel saltem non diversa ab antiqua Africana, ut idem Auctor suspicatur, videre est quae jam superius de veteri Gallicana dixi-

mus, & quae dicenda sunt de Africana inferius. Solum hic addemus, Jacobum de Vitriaco Card. XIII. saeculi scriptorem Gallum in hist. Orient. cap. 81. exarasse, Christianos Africae Hispaniaeque Ecclesiarum, eadem Liturgia usos fuisse dicto saeculo XIII. quod verum fortasse sit, quoniam eo jam tempore Africani exemplo Hispanorum, Romanum susceperant officium, cujus tunc usus apud Latinos ferme omnes vigebat. Nomine autem Romani officii intelligimus Gregorianum, quo Gallicanae Ecclesiae uti coeperunt a tempore Caroli Magni, qui idem officium per universas Romani Imperii ditiones potissimum propagavit. Ante hujus Imperatoris tempora ordo Gelasianus Galliarum Ecclesiis erat veluti proprius, licet non unicus; nam constat ex inventario librorum monasterii S. Ricarii in Picardia an. 881. confecto, de quo in Chron. monasterii Cetulens. apud Dacher. *tom.* 4. *spicileg. lib.* 3. *cap.* 3. quod reperti fuerunt = De libris sacrarii, qui ministerio altaris deserviunt, Missales Gregoriani tres, Missalis Gregorianus, & Gelasinus modernis temporibus ab Albino ordinati; Missales Gelasini decem & novem =. Ex hoc enim documento P. Honor. §. 2. infert, Gallias nullum praeter Gelasinum, officior. ordinem habuisse a principio VI. saeculi usque ad im-

perium Caroli Magni: imo videtur idem auctor supponere, neque ex alio antiquiore aliquid tunc temporis superfuisse; nam Alcuinus ait, sive Albinus, qui ex Gelasino, & Gregoriano unum officium coaptavit, non id fecisset, sed potius unum codicem conflasset ex Gregoriano, & ex Gallico veteri, si hujusmodi vetus Gallicanum, aut Francicum officium invenisset. Quae ratiocinatio nobis certe infirma videtur: quippe ante Gelasium Gallicanae Ecclesiae *Liturgiam* procul dubio habuere: est autem inverisimile nullum ejus Liturgiae exemplar extitisse tempore Alcuini; vel certe hoc minime probatur ex eo, quod ille in sua collectione talis Liturgiae non meminerit. Hoc quidem in praesentiarum sufficiet pro Liturgia Mozarabica.

DE AFRICANA.

De Liturgiis Africanae Ecclesiae pauca admodum explorata comperraque habemus. Veterem Rom. & antiqu. Hispana ex parte convenisse, & insuper quaedam peculiaria, & ab utriusque ritibus diversa continuisse, verosimillimum nobis est. Certe in ordine Romano nonnulla desiderantur, quae inveniri apud Marium Victorinum *lib.* 1. adversus Arium, & apud S. Fulgentium Ruspen-

ſem Epiſc. *cap.* 14. *in Epiſt.* 1. *ad Corinth. in edit.* P. Sirmondi, deprompta ex veteri Eccleſiae Africanae *Liturgia* Cardinalis Bona obſervavit; *lib.* 1. *cap.* 7. *art.* 3. Egregius quoque Hiſpaniarum Doctor Iſidorus non nihil diſcriminis agnovit inter Africanum, & Hiſpanum officiorum ordinem: = In Africanis regionibus, inquit *lib.* 1. *de offic. Eccleſ. cap.* 13. non omni tempore, ſed tantum Dominicis diebus, & 50. poſt Domini Reſurrectionem *Alleluja* cantatur. Verum apud nos, ſecundum antiquam Hiſpaniarum traditionem, omni tempore cantatur *Alleluja*, praeter dies jejuniorum, vel Quadrageſimae =. Additur in Lexicon Macri, quod in officio Gothico, ſeu Mozarabico adinſtar Graecorum Ritus habetur in Exequiis *Alleluja*: quod & Gallicanam Eccleſiam obſervaſſe ait Baronius ad ann. 590. Jam in funeralibus generaliter omittitur in ſignum moeſtitiae, *de conſecr. diſſ.* 1. & Concil. Tolet. XIV. *can.* 10. Praeterea in Miſſa Mozarabica duplex lectio, Epiſtola, ſeu Apoſtolus ante Evangelium legitur, & altera ex veteri, altera ex Novo Teſtamento deſumitur: in Africana autem una ſola lectio ex Paulinis Epiſtolis communiter deſumpta recitabatur, eique ſubnectebatur Graduale, ex Pſalterio; quod videtur ſignificari ab Auguſtino verbis illis *Epiſt.* 7. & 10. *de verbis*

Apostoli = Apostolum audivimus; psalmum audivimus; Evangelium audivimus; consonant omnes Divinae lectiones =. Denique apud S. Cyprianum variis in locis, apud Tertullianum in *Apolog. in lib. de Anima cap.* 9. *in lib. de Corona cap.* 3. *lib.* 5. *contra Marcionem cap.* 8. & apud D. August. *serm.* 227. plura sparsim reperiuntur, quae si colligantur, aliquam de Africana Liturgia ideam exhibere possunt.

DE LITURGIA ANGLICANA.

Pro veteri Liturgia Anglicana haud certiora supersunt monumenta. Incertum, an Paulus, vel alius quispiam Apostolus, aut Apostolicus vir Evangelium in illis partibus praedicaverit. Probabilissimum, si non ante alius, saltem ann. circiter 192. S. Eleutherium cum Missis Apostolicis Fugatium, & Damianum etiam Ecclesiae Romanae Ritus ad Angliae Regem misisse. Fere certum media saltem aetate Anglos veterem *Gallorum Liturgiam* recepisse: tandemque Gregoriano ordini se se accommodasse.

Quemadmodum denique ab omnibus sacrae Liturgiae scriptoribus de illa Missa, bona, ut inquit, fide, sed prava sane intentione, tractatur, quae a Mathia Flacco Illiri-

co inventa fuit: ſic & nos in hac parte ſententias aliorum ponemus, noſtramque cum celebrioribus ſcriptoribus manifeſtabimus. Hanc igitur Miſſam Latinam in antiquo codice M. S. repertam fuiſſe a ſupra citato Illiriço; & typis mandaſſe Anno 1557. cum ſequenti titulo, aliquorum eſt ſententia: = Miſſa Latina, quae olim ante Romanam circa ſeptingenteſimum Domini annum in uſu fuit, bona fide ex vetuſto authenticoque codice deſcripta = Eminentiſſimus Cardinalis Bona *cap.* 12. *lib.* 1. Rerum liturg. judicium falſitatis nobis donavit. Imo Georgius Wicellius Lutheri antea diſcipulus, poſtea catholicus & acerrimus defenſor Liturgiae Eccleſiaſticae, ſtatim ac in eam oculos fixit inquit = Edidit Illiricus repertam Miſſam Latinam, non triumphans tamen de theſauro tanto adverſus Catholicos, cum vel caecutienti homini appareat, totum illud quod edidit, contra Lutheri, Calvinique ſectas edidiſſe, ſed & nobis Catholicis rem longe gratiſſimam feciſſe. Quid enim niſi Miſſam Latinam, quae hodie in uſu generali eſt, inſciens imprudenſque defendit? Tantum abeſt, ut ſuo ſectaeque more oppugnet. Locupletior eſt illa quidem, pluſque precum continet, ſed omnino tamen eadem eſt cum uſitata; cujus etiam dicta factaque omnia paſſim ſequitur, ut di-

versam esse confirmare nemo audeat ═. Verba hujus Auctoris laudavit Carolus Le Cointe, & merito.

Aliud argumentum accedit ad falsam Illirici persuasionem evertendam, quod alia quaedam Missa eodem modo interpolata reperitur ad usum alicujus Ecclesiae Romanae Dioecceseos; ea extat in Cod. M.S. Bibliothecae Eminentissimi Card. Ghisii *n.* 1521. charactere Longobardico, sed imperfecta: continet primo aspirationes ad Deum ex psalmis artificiose contextas, & alias orationes, & Lytanias: Secundo ordinem Missae usque ad Evangelium, non reliqua. Haec Missa Gallicana dici non potest; nam utitur versione psalmorum Italica, quae diu in usu fuit non solum in Urbe, sed & in omnibus Ecclesiis Suburbicariis, aliisque Regionibus, excepta Gallia, quae versionem a S. Hieronymo emendatam statim recepit, atque ideo versio Gallicana dicta est.

Item in missali M.S. Bibliothecae Vatic. *n.* 3807. proponitur oratio *Summe Sacerdos* pro celebrantis arbitrio recitanda, dum in choro *Kyrie*, vel *Gloria* cantatur: hoc idem habetur apud PP. Ordinis Praedicatorum; ex quibus concludendum, quod praedictae interpolationes in solis Missis solemnibus locum habeant, ut tam Sacerdos, quam

Miniſtri, pſallente choro, iis vel ex integro, vel ex parte, quemadmodum obſervavit Card. Bona, recitandis occuparentur. Miſſae hujuſmodi vel circa finem decimi ſaeculi, vel initio undecimi principium habuerunt, quod quidem ex charactere Longobardico, ex nominibus Monachorum, ex notis, aliiſque circumſtantiis comprobatur. Ergo Miſſa illius Illirici nullius roboris eſt.

Hoc cum intellexiſſent Lutherani, univerſa editionis exemplaria flammis tradere decreverunt, paucaque incendium evadere potuerunt, ex quibus unum in Bibliotheca Caeſarea adſervari dicitur, alia viderunt Peyrac, Le Cointe, & Menardus.

DIATRIBA I.

De Baculo Paſtorali Pontificum.

Eruditiſſimus Cardinalis Bona in ſuo *lib.* 1. Rerum Liturgicarum *cap.* 24. *pag.* 887. *edit. Antuerp.* agens de Baculo Paſtorali, ejuſque uſu, ac materia, controverſiam hujuſmodi non notavit, quamvis de aliis Pontificalibus diffuſiſſime ſcripſiſſet: dicit tantummodo = Quod Regibus ſceptrum, id Baculus eſt Epiſcopis, inſigne ſcilicet auctoritatis, ſollicitudinis, & correctionis =.

Baculus igitur nominatur etiam Virga, Cambuta, Ferula, Cambuca, Camboca, & a Budeo etiam Lituus Pontificius, quali olim Augures utebantur. Materia istius instrumenti non semper eadem fuit; nam aliquando ex quadratis lignis, & ossibus, aliquando ex Cypressino, aliquando ex argento, & auro. Forma pariter pro varietate Ecclesiarum varia fuit; sed de his non curamus eo vel maxime, quod in sententia antiquiores, recentioresque scriptores conveniant.

De usu tantum disputabimus: nam nonnulli asserunt, Pontifices Maximos numquam baculo usos fuisse, sed ferula: alii vero oppositum tenent. Nos autem ultimam sententiam validissimis fundamentis sustinebimus; & ne in re tanti momenti aliquid obscurum remaneat, prius oppositae sententiae auctoritates ponemus, ad hoc ut clarius appareat quod a nobis exponendum superest, juxta illud ═Opposita juxta se posita magis elucescunt═.

In prima igitur sententia scripserunt erudite R. P. Constantinus Cajetani, qui quidem (ut supponunt non absque fundamento viri clarissimi) vel talem opinionem disseminavit primus, vel, ut ajunt, primus abrasit curvitatem Pastoralis in imagine Gelasii II. exposita in Codice Vaticano sub *n.* 4939. Secuti sunt eum Luitprandus, Platina, Macri,

Illuſtriſſimus D. D. Joſeph Carampi, aliique permulti.

Ad corroborandam talem ſententiam primo exponunt factum illud degradationis Benedicti Papae V. a Scriptore rerum Italicarum relatum, in quo Ferulam Pontificalem fregit Leo VIII. Anti-Papa, & fractam populo oſtendit: ex quo ſpretu inferunt non fuiſſe Paſtoralem; nam ipſe Leo, quemadmodum tantam reverentiam oſtendit erga ſtolam, planetam, ac pallium, etiam erga *Ferulam* habuiſſet, ſi *Ferula* & *Paſtoralis* unum idemque eſſent.

Secundo in medio proferunt verba illa regiſtrata in Actibus Pontificis Paſchalis II. videlicet ═ Locatus in utriuſque curulibus data ſibi *Ferula* in manu per caetera palatii loca ſolis Romanis Pontificibus deſtinata, jam Dominus, vel tranſiens, vel ſedens electionis modum implevit ═. Haec ſecunda auctoritas, quae tanti roboris eſt pro illis, nihil omnino implicare videtur, imo corroborat noſtram ſententiam, ut videbitur infra.

Tertio denique potiſſimum illorum argumentum ex codice Vaticano *n.* 4939. repetunt dicendo, quod in eodem codice Gelaſius II. cum recto Baculo, & abſque curvitate in parte ſuperiori depictus videtur: ergo *Ferula* non *Paſtoralis* fuit illa Pontificum.

Omnia tamen ista argumenta ex rationibus, conjecturis, auctoritatibusque exposita, quamvis primo aspectu validissima videantur, majori facilitate solvuntur, quam inventa fuere. Enim vero, quod pertinet ad degradationem Benedicti, non negamus etiam in nostra sententia fractam fuisse *Ferulam* a summo Pontifice Leone VIII. imo hic spretus necessarius fuit, ut ostenderet omni populo, nullam amplius jurisdictionem spiritualem, vel temporalem Benedictum habuisse: negamus tamen *Ferulam* illam non fuisse Pastoralem cum extremitate superiori recurvata. Nec magis illorum sententiam juvat, quod si non Ferula, sed Pastoralis fuisset, Leo VIII. majorem venerationem, & obsequium habere debuisset, quemadmodum habuit caeteris aliis Pontificalibus; nam potissima ratio est, quod caetera paramenta jurisdictionis spiritualis, & temporalis signa non erant, ideoque nullum praejudicium Leonis Pontificis potestati afferebant.

Nec primum hoc fuit Pastoralis fractionis exemplum. Nam Pater Catelani plures alios numerat in suo opere, ubi de fractione Pastoralium agit, in degradatione Episcoporum.

Quod vero de Paschali II. afferunt, illis damus totam auctoritatem, ultroque con-

cedimus; sed quid inde? Accepta Ferula, vel Pastorali (quod unum & idem est.) a Priore S. Laurentii, ut signum jurisdictionis, justissimum fuit ut cum illo per palatium Pontificium ambularet, pari jure, quo unusquisque Episcopus, Abbas, & alii cum signo distinctivo suae jurisdictionis per eandem jurisdictionem ambulare videntur. Igitur ex hac auctoritate nihil omnino concludi potest.

Si de figura Gelasii II. tractandum est, quae quidem, ut ajunt, a P. Constantino Cajetani accurate observata fuit, & ex quo examine quam plurimi in eundem errorem lapsi sunt, dicimus, & affirmamus ipsos non tam purgatis oculis vidisse, ita ut ab aliis melius visa non fuerit, videlicet ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. Stephano Borgia in Literaria Repub. clarissimo, qui in suo tomo 3. historiae Beneventanae inter alias imagines, illam Gelasii II. collocavit; taliter, qualiter in supra citato codice Vaticano observatur, nempe cum Baculo Pastorali circumflexo in extremitate superiori. Eandem figuram egomet vidi in Bibliotheca supradicta; & agnovi abrasionem partis superioris ejusdem Baculi. Sed quid ad nos? Sit, vel non sit circumflexa pars superior ejusdem Pastoralis: sit, vel non sit abrasa: ad rem nostram sufficit, quod propositio adversariorum

verificari non possit. Enim vero non tantum Gelasium II. in hujus rei testimonium adducimus, sed alios insuper antiquiores Pontifices, quos insignitos tali ornamento in eodem codice videre est. Revera Urbanus II. qui vivebat ann. 1099. & Gregorius VII. qui regnabat ann. 1084. cum Pastorali observantur. Nos non negamus quod Pontifices variis ex causis reliquissent Pastoralem, & hoc post Pontificatum Honorii II. evenisse: negamus tamen illam propositionem absolutam, & universalem de Pastorali Pontificio a supra citatis Auctoribus expositam. Quod si explicatio Sicardi in suo lib. 2. M.S. Mitralis, ubi agit de Pastorali Pontificio, alicujus obsequii digna videtur: asserendum est *Ferulam* Benedicti V. Paschalis II. Gelasii II. aliorumque Pontificum verum Pastoralem fuisse: en ejus genuina verba = Baculus a lege sumitur, & Evangelio, qui & virga Pastoralis, & Cambuta, & Pedum, & Ferula nominatur. .... Hic Baculus ex osse, & ligno conficitur, quae crystallina, vel aurata sperula conjunguntur. Os superius recurvatur, lignum inferius ferro acuitur, modice tamen retunditur =.

Qua de re recurrendum erit ad ideam pictorum, & sculptorum, qui in efformandis imaginibus summorum Pontificum hastam sim-

plicem, vel crucem tantum ſuper haſtam poſuere, eodem modo, quo ſuper depoſita eorundem Pontificum multoties videtur Triregnum, quum ex caeremonialibus celeberrimis Petri de Amelio, & Auguſtini Patritii, cum mitra ſepeliantur Pontifices.

Ultimo advertendum eſt, quod ſicuti Pontifices in conſecratione Epiſcoporum, ad denotandam juriſdictionem ſuper oves ipſorum ultimo loco illis Paſtoralem tradunt: numquam ab oppoſitae ſententiae adverſariis opportuna ratio, atque conveniens aſſignabitur, propter quam Pontifices, qui ſunt Epiſcopi Epiſcoporum, & aliis talem poteſtatem concedunt, habere ipſi non debeant.

Fateor equidem me primam ſententiam adoptaſſe, uti videre eſt in primo tomo = Annotazioni storiche Eccleſiaſtiche: = at poſteaquam manu tetigi errorem, non tantum in diſſertatione pro Accademia Florentina elaborata, verum etiam in meo tom. 2. ejuſdem Operis ſub vocab. *Paſtorale* meipſum nihilominus retractavi advertens illud Gratiani = Quod non ſolum ille proditor eſt veritatis, qui tranſgrediens veritatem, palam pro veritate mendacium loquitur; ſed etiam ille, qui non libere veritatem pronuntiat, quam libere pronuntiare oportet, aut non libere veritatem defendit, quam libere defendere convenit =.

DIATRIBA II.

De Mitra Pontificum, Episcoporum, Abbatum, & Principum.

Varium variis temporibus Mitrae nomen fuit. Olim Cidaris, aliquando Tiara, Corona, Apex, Sertum cum gemmis, Sacerdotalis, Infula, Phrygium, Lamina aurea, Bractia vel Bractea, & Pileum; sed de his aliisque nominibus Lexicographi consulendi sunt. Hic solum adversus Novatores dicimus, & probamus, falso ipsos redarguere catholicos tamquam Apostolicarum consuetudinum violatores; sed potius merito ipsi reprehendendi sunt tamquam veterum traditionum desertores.

Enim vero in epistola Policratis Episcopi Ephesini Pontifici Victori missa, & ab Eusebio cautissime custodita habetur, quod praedilectus Discipulus Domini Joannes ob signum sui Sacerdotii == Auream Laminam in fronte gerebat. Insuper Joannes Diaconus in vita S. Gregorii Magni manifeste declarat, habuisse nonnulla vestimenta sacra, cum quibus supra citatus Evangelista sanctum Missae sacrificium celebrare consueverat; quae quidem

vestimenta eidem Pontifici donata fuere. Sed quid magis? S. Epiphanius Haeres. 27. & 78. & S. Hieronymus lib. de script. de S. Jacobo fratre Domini affirmant, *Bractiam, seu Bracteam in capite gestare licuisse*: quod quidem Eusebius, Clemens, aliique permulti scriptores in eorum commentariis affirmant: ex quo evidenter deducitur, quod etiam in primitiva Ecclesia, Episcopi in sacris functionibus aliquod ornamentum in capite deferebant, quod quidem ab antiquioribus vocabatur *Bractea*, vel Lamina.

Non negamus tamen id, quod Isaia *cap.* 3. & Ulpiano §. *Muliebri* legitur == Auferet Dominus Armillas, & Mitras == per quae verba profanum licet ornamentum significent praefati auctores; asserimus nihilominus & insuper denotari ornamentum Sacerdotale, ideoque parum dissimile a Tiara summorum Sacerdotum. Qualis dein fuerit Mitra, sive Cidaris summorum Pontificum Sinagogae, non tam facile ostenditur, ex eo quod Rabini affirment, tam summos Sacerdotes, quam minores fere uniformem Mitram gestasse. En illorum verba == Pileos ex telae vitta sexdecim ulnarum capiti obvoluta cassidis instar, quae in summo Sacerdote obtusior erat, minusque turbantis acumen repraesentabat == Nihilo tamen minus

Joseph Hebraeus *lib.* 3. *antiq. c.* 8. Thiaram, sive Tiaram describit vulgarium Sacerdotum constantem ex linea tela pluribus meandris obvolutam, & assutam, ut speciem vittae crassioris referret, totam vero coronam tela superposita, & usque ad frontem descendens, ita contegebat, ut suturae non apparerent. De forma vero *Cidaris* Pontificum nihil aliud dicit nisi = quod eam totam protegebat aliud Hyacinthini coloris tegmen occiput, & utraque tempora contegens; illudque triplex aurea corona cingebat, tamquam calyculis herbae Hyoscyami perpetuo ornata, praeterquam ubi aurea lamina collocanda erat.

S. Hieronymus describens Fabiolae suae Sacerdotale tegumentum, cum illo Ulissis comparavit dicens = Quod nimirum tertiam partem a fronte inopertam relinquebat; atque ita in occipitio vitta constrictum erat, ut non facile laberetur ex capite =. Sed non multo post subjungit = Eo a se descripto Pileo tam Sacerdotes, quam Pontifices utebantur.

Celebratissimus P. Augustinus Calmet distinctionem facit inter *Cidarim* Pontificis, & Sacerdotum inquiens = Quod illa summi Pontificis ex lino, & gossypio intexta erat, illa vero aliorum Sacerdotum ex tela linea

tantum ad similitudinem Tiarae antiquorum Persarum Regum. Reapse Quintus Curtius *lib.* 3. Darii Mitram describens, affirmat, quod ab antiquis Persarum populis *Cidarim*, vel *Cydarim* appellabatur.

Hic transeunter tamen notandum est ipsam apud Graecos numquam in usu fuisse, ut erudite ostendit in suo opere Illustrissimus, ac Reverendissimus D. D. Stephanus Borgia, ubi scripsit de Pallio, & Mitra Episcoporum Beneventanae Ecclesiae, & mirifice comprobavit *parte* 1. *cap.* 22. *pag.* 321. Ait tamen supra citatus Praesul una cum Eminentissimo Card. Bona *lib.* 1. *n.* 14. *rer. Liturg.* & viro clarissimo Goar *in notis ad Episc. ord. pag.* 34. = quod Episcopi Orientales Maronitae, Nestoriani, & Jacobitae supra citatam Cidarim habent dum ordinantur. En genuina verba: = Reliqui Episcopi Orientales Maronitae, Nestoriani, & Jacobitae Cidari utuntur, quae ipsorum capiti imponitur dum ordinantur, ut ex eorum Ritualibus apud Morinum manifestum est.

Quod vero ad Mitras Episcoporum Ecclesiae Latine pertinet, quam plurimae dissertationes leguntur, videlicet Andreae de Saussay in sua Panoplia *lib.* 1. Caesaris Bulengeri *de vest. Pontif. Episc. lib.* 1. *cap.* 20. Ferrari *de re vestiaria*, Alberti Rubeni sub

eodem titulo, Illustrissimi, ac Reverendissimi D. D. Stephani Borgiae, qui solus in Genealogia Comitissae Metildis varias vetustissimas Mitras sedulo descripsit, & a peritissimo incisore delineare fecit. Quinque tamen inter plurimas antiquiores numerantur. Prima asservatur in Ecclesia Cathedrali Anagnina. Secunda, & tertia in Ecclesia Cathedrali Beneventana. Quarta est Gottifredi Episcopi Brixiensis. Quinta Teobaldi Episcopi Aretini circa XII. saeculum.

Insuper observandum est, ab initio Ecclesiae Latinae non tam generalem fuisse apud Episcopos usum Mitrae; legitur enim quod tantum Leo VIII. Anscario Episcopo Hammabergensi usum Mitrae concessit; & de his concessionibus nonnulla etiam inveniuntur usque ad saeculum XII. in quo Alexander III. permisit Godewaldo Episcopo Tajectensi Episcopalem Mitram, ut scripsit Mabill. *in praef. ad saec. IV. n.* 182.

Quod vero ad Abbates spectat, Illustrissimus supra citatus D. Borgia asserit ipsos ante saeculum XI. haud usos esse tali Mitra. Enim vero Alexander II. primus illam concessit Egelsino Abbati Monasterii S. Augustini apud Cambrigi; deinde Urbanus II. ann. 1091. Petro Abbati Cavensi in Concilio Beneventano. At S. Bernardus, & Petrus Blesensis

fortiter conquesti sunt adversus istiusmodi usum: ille spiritu humilitatis, iste zelo zelatus pro Episcopis, quibus haec praerogativa Abbatum displicebat. At quemadmodum supra citatus Praesul perpendit, ita res profecit, ut Clemens IV. saeculo XIII. ipsos cohibere debuisset quoad pretiositatem illarum minuendam, ad hoc ut ab illis Episcoporum distinguerentur.

Summi Pontifices etiam utuntur tali indumento praeter Triregnum, ut observare est in Pontificalibus, & Processionibus.

Ultimo dicimus Principibus aliquando Mitram concessam fuisse, & hoc solum probandum superest pro coronide nostrae assertionis, quod quidem absque trepidatione facimus asserendo ab Alexandro II. concessum Mitrae usum Uratislao Duci Boemiae in signum intimae dilectionis: quod quidem confirmatur testimonio Gregorii VII. *Epist.* 28. *lib.* 1. quamvis istud privilegium numquam antea tributum legimus.

Late tandem propagata est Mitrae gestandae concessio non solum ad Abbates, sed etiam ad quarundam Ecclesiarum saecularium Praepositos, ut Liburni in Etruria, & ad Cathedralium Dignitates & Canonicos, quorum hic catalogum texere nolumus.

DIATRIBA III.

De Pallio antiquo, & moderno utriusque Ecclesiae.

Ne in re tanti momenti a gravioribus sanioribusque auctoribus sejungamur, cum Eminentissimo Card. Bona, Augustino Patrizzi, ac Illustrissimo, Reverendissimoque D. D. Stephano Borgia, olim Congregationis sacrarum Reliquiarum, & Indulgentiarum, nunc vero in Urbe Propagandae Fidei Secretario, affirmamus & dicimus, Pallium esse revera fasciam laneam candidam tribus circiter digitis latam, & in modum circuli contextam. Super humeros imponitur. Ex primo circulo alia fascia similis ante pectus pendet, & alia deorsum ex opposito: duae tandem super humeros demittuntur; quae fasciae non amplius purpureis crucibus ornantur (quemadmodum suo tempore scripsit Eminentissimus Cardinalis Bona) sed nigris. Ita etiam fasciae, quae ante, & retro pendent, breviores sunt, quam antiquae, ut videre est in caeremoniali accuratissimi Augustini Patrizzi *lib.* I. *seff.* 10. *cap.* 5. de Pallio; & in Basilica Vaticana observatur supra depositum aeneum Xysti IV. in parte dextera sacelli sanctissimi Sacramenti.

Pallium tribus aciculis, five fpinulis aureis alligatur, quae quidem obfervatio magni momenti eft, ut infra videbimus. Supra citatum Pallium fit ex lana Agnorum candidorum fine macula, qui in die S. Agnetis in ejufdem Ecclefia via Nomentana fingulis annis offerri ad Miffam folemnem, & benedici folent; & non amplius, ut fuo tempore notavit Card. Bona, Subdiaconis Apoftolicis confignantur, fed cuidam Auditori facrae Rotae, a quo transferuntur in aliquo Monafterio fanctimonialium, donec veniat tempus ipfos tondendi.

Pallia ifta in Bafilica Vaticana deferuntur, & fuper corpora SS. Apoftolorum Petri & Pauli, in vigilia Natalis ipforum ponuntur, ibique tota nocte dimittuntur, deinde primo Magiftro Pontificiarum caeremoniarum cuftodienda traduntur. Benedictio hujus Pallii ab uno Canonico ejufdem facr. S. Bafilicae antea abfolvebatur: at Benedictus XIV. qui omnia accurate confiderabat, decretavit, ut in pofterum a folo fummo Pontifice benedicerentur.

Nonnulli fcriptores circa Pallium allucinati funt; nam cum obfervaffent aliquas imagines Epifcoporum aliquibus fafciis e collo pendentibus, in quibus cruces intextae erant, afferuerunt illud fuiffe Pallium, quod pro or-

namento Planetae appositum fuerat: enim vero cum tali supradicto ornamento inveniuntur picturae, sive imagines suffraganeorum Patriarchae Aquilejensis, & nonnullorum Veronensium Episcoporum, quemadmodum in sua Casula Dittica demonstravit D. Maurus Sarti Abbas Camaldulensis *cap.* 3. §. 1.

Illustrissimus D. D. Borgia supra citatus in sua historia Beneventana diligenter adnotavit non solum rationes, ob quas Pallium Episcopis admittendum non sit, quemadmodum alii scriptores admiserunt, sed etiam ostendit formam, & varietatem ipsorum tam Graecae, quam Latinae Ecclesiae, *parte* 1. *pag.* 314. qua de re omnes in suo fonte fusius eruditi videre poterunt. Non tamen silentio praeterire volumus observationem ipsius, nempe quod supra citatum suppostitium Pallium non solum nominatas cruces non habet, sed etiam illo triplici acu caret, quod clarius observavimus in delineatione duorum Episcoporum, nempe Avellinensis, & S. Agatae vetustissima Planeta induti ad differentiam Beneventani vero Pallio ornati; quas quidem imagines supra citatus Praelatus propriis sumptibus publicas reddere voluit.

Insuper dubitari non potest, quod quemadmodum Planeta, & alia sacra indumenta varietati obnoxia fuere, ita & Pallium in La-

tina Ecclesia; Graeci vero in hoc observantiores fuerunt. Enim vero ineunte XII. saeculo summus Pontifex Innocentius III. in *lib. 3. cap. 63. De offic. Missae* scribens de antiquo Pallio sic ait = Pallium illud, quo majores Episcopi utuntur, est de candida lana contextum, desuper habens circulum humeros constringentem, & duas lineas ab utraque parte pendentes, quatuor Cruces purpureas ante, retro, & a sinistris, sed a sinistris duplex est, & simplex a dextris. Tres etiam acus aureae insiguntur Pallio, ante pectus, super humerum, & post tergum; super dexterum humerum non infigitur. Haec qualibet acus pretiosum continet lapidem.

Quantum vero pertinet ad Pallium Graecorum, eruimus ex Balsamone in responsionem ad undecimam quaestionem Marci Alexandrini; ex Simeone Thessalonicensi in suo libro de Templo, & Missa; ex Francisco Florens ad titulum Decretalium de usu, & auctoritate Pallii; ex Goar, Haberto, & Morino, aliisque quamplurimis, quod ingens sit differentia a Latino. *Graecum est longa fascia ejusdem cum Latino, aut paulo majoris latitudinis, collum primitus involvens, tum a collo per medium pectus infra genua descendens, crucibus itidem intertexta*. Olim usque ad pedes protendebatur; nam Zonarus

in vita Constantini Copronymi ait, Anastasium insistentem vestigiis Germani Patriarchae *Omophorion* ejus calcasse, ut sic eum moneret ne properaret.

Dicitur *Omophorion*, quod idem sonat, ac *Pallium*, *onus humeri*, & quod *humeris fertur* ὠμοφόριον, ου, τὸ, termine composto dalla voce ὦμος, ου, ὁ, humerus, e dal verbo φέρω, fero, hinc φορέω, idem praeteritum medium πέφορα, hinc Φόριον, ου, τὸ; ὤμο, Φόριον, ου, τὸ. Dicitur superhumerale Ἐπιμάτιον, ου, τὸ, da ἐπὶ, super, ed ἱμάτιον, ου, τὸ, supervestis. Insuper apud Graecos omnes Episcopi deferunt Pallium, deponentes illud in lectione Evangelii, & reassumunt paulo ante communionem. Apud Latinos vero soli Patriarchae, & Archiepiscopi, & ex aliqua causa gravi etiam nonnulli Episcopi; quemadmodum legitur de Episcopo Siagrio Augustodunensi, cui ad preces Brunichildis Reginae S. Gregorius Magnus concessit. S. Leo IX. ob memoriam S. Arrighi I. Fundatoris Bambergensis Episcopatus, Artuico illud contulit. Sic dicendum de Ticinensi, Lucensi in Etruria, &c.

Quod vero in receptione Pallii juramentum praestent Pontifici Maximo, nemini dubium est, sed potius de usu illorum aliquando dubitatum fuit, ob commentitiam

concessionem descriptam a Flodoardo in historia Remensis Ecclesiae *lib.* 3. *cap.* 10. in qua Hincmaro a Leone Papa IV. concessum fuisse Pallium asserit, sed non pro diebus assignatis a S. Sede Apostolica, quemadmodum & aliis Archiepiscopis, sed ad arbitrium ipsius. Ad confutandam Flodoardi assertionem sufficeret testimonium Gregorii Magni *lib.* 2. *Epist.* 54. qui ad Joannem Archiepiscopum Ravennatem sic scribit == Illud, Frater carissime, tibi non putavimus ignotum, quod pene de nullo Metropolitano in quibuslibet mundi partibus sit auditum, extra Missarum tempus usum sibi Pallii vindicasse ==. Insuper *in lib.* 4. *Epist.* 50. Vigilio Arelatensi == Pallium, inquit, transmisimus, quo Fraternitas tua intra Ecclesiam ad sola Missarum solemnia utatur ==. Totum id confirmabimus cum verbis Romanae Synodi sub Joan. VIII. editae == Quicumque Metropolitanorum per plateas, vel in Lytaniis uti Pallio praesumpserit, & non tantum in praecipuis festivitatibus, & ab Apostolicae Sede indictis temporibus ad Missarum solummodo solemnia, careat illo honore ==. Sed quid diceret Flodoardus, si ipsummet, Hincmaro teste, oppositum haberemus? Legat epistolam Nicolai I. ad ipsum Hincmarum, & illius responsionem, si placuerit. Qui sententiam Flodoardi sustine-

re volunt, in medio adducunt etiam eamdem concessionem factam fuisse Brunoni Coloniensi ab Agapito II. quamadmodum scripsit Rogerus Monachus in ejus vita: similiter alteram Lanfranco Cantuariensi ab Alexandro II. Denique etiam pro usu quotidiano Pallii afferunt canonem VI. Concilii primi Matisconensis anno circiter 582. celebrato.

Nos vero superadditis auctoritatibus, & monumentis respondemus non forsan tunc eosdem fuisse mores: quantum vero ad canonem explicamus ipsum, quemadmodum intelligitur a numero majori Liturgicorum hominum, non de quotidiana Missa, sed de solemni dumtaxat.

SCRIPTORUM
RERUM LITURGICARUM
SERIES.

A

Abaudus Abbas, de fractione Corporis Christi in suis scriptis tractavit. Inscriptio operis est == De fractione Corporis Christi in sacrificio Missae ==. Vere hujus auctoris scripta magna meditatione indigent.

Abraham Ecchellensis, qui floruit Romae ann. circiter 1630. vir fuit linguarum Orientalium, maxime Arabicarum peritissimus. In suis scriptis asserit, quod apud Orientales inveniuntur duae Liturgiae sub nomine 12. Apostolorum: sed major pars scriptorum rerum Liturgicarum vel totaliter negant illarum existentiam, vel tamquam apocriphas habent. Idem auctor numerat plusquam 50. Litur-
1664. gias apud Orientales. Decessit Romae.

Adam a S. Victore plures sequentias scripsisse affirmant antiquitatum investigatores: vetus vero Ecclesia illas noluit admittere. Vixit circa saecul. XII.

Adelmannus Episcopus Brixiensis epistolam eruditissimam de Corpore Christi Domini in sanctissimo Eucharistiae sacr. Berengario direxit. De isto auctore tamen varia sunt judicia. Cum

maximo splendore suae Ecclesiae vi-
1059. vebat an.

Ademarus natione Gallus, & Coenobii S. Eparchi Engolismensis Monachus. Huic tribuitur supplementum ad *lib.* 4. Amalarii *de Div. offic.* quod a Mabilone fuit evulgatum.

Agobardus Lugdunensis Episcopus vir doctissimus; varia opera scripsit, & praecipue lib. primum de Divina Psalmodia. Secundum de correctione Antiphonarii. Tertium contra quatuor Amalarii libros.

Alardus Gazzeus optimus Liturgicus, ideoque illius scripta frequentissime citantur ab omnibus fere Liturgicis scriptoribus.

Albertus Rubenius, cujus opera caute custodiuntur a sacrorum rituum studiosis, diligentissime scripsit de sacris indumentis.

Albertus Magnus de sacrificio Missae erudite scripsit, & alia multa. Nostri auctoris opera inter sacr. scriptores magnae auctoritatis sunt. Floruit juxta Calendarii Rom. emendationem
1280. an. circ.

Alcuinus Flaccus, non Albinus, fuit magister Caroli Magni, quo tempore varias

Missas scripsisse aliqui crediderunt. Lib. de Div. offic. male ei tribuitur, quia in eo citantur versus Theodulphi Episc. Aurelianensis, qui vixit sub Ludovico Pio, ut notant Card. Bona, & Pater Sirmundus in notis ad Theodulphum. Magnae auctoritatis est apud
804. Liturgicos. Vivebat circa ann.

Alexander Papa I. inter Liturgicos collocatur. Fertur quod praeter alia decreta ad sacram Liturgiam pertinentia, ordinasset mixtionem aquae cum vino ante consecrationem; & quod in canone apposuisset illa verba = Qui priusquam pateretur =. Habet aliquid etiam de azymo. Re-
132. liquit Petri sedem ann.

Alexander Sperellus nonnullas observationes de Sacrificio Missae composuit, & typis mandata fuere ann. 1621.

Alexander Alensis scripsit historiam de azymo, & fermentato, sed ex variis opinionibus auctorum, claritas hujus historiae, atque veritas non invenitur. In quarta parte ipsius summae, ubi agit de offic. Missae, asserit, quod post Evangelium non dicebatur *Laus tibi Christe*, sed *Amen*, vel *Deo gratias*. Scripta nostri Auctoris inveniun-
1245. tur sub ann.

Alexius Comnenus de donariis, & rebus sacris cum diligentia ſcripſit.

Alphonſus Rodriguez inter Hiſpanos Liturgicos ſcriptores celebratur, eo quod de Myſterio Miſſae cum attentione ſcripſiſſet.

Algerus Monachus Cluniacenſis varios Liturgicos libros ſcripſit, in quorum ſecundo rationem aſſignat, cur in azymo, & fermentato ſacrificari poſſit. Flore-
1130. bat anno Chriſti

Amalarius plures libros de Div. Offic. ſcripſit, ex quibus Ritus antiquae Eccleſiae reſultarit: loquendo tamen de modo, quo antiquitus vocabantur fideles ad ſacram Synaxim, non placuit eruditiſſimo Card. Baronio. Floruit ſaeculo nono.

Amalarius Fortunatus Epiſcopus Trevirenſis, erudite de Ord. Antiph. & de Offic. Eccleſiaſt. ſcripſit. Aliqui tamen ſeveriores Critici negant huic Amalario lib. de off. Eccl. & tribuunt altero Amalario. Vivebat circa ſaeculum octavum.

Ambroſius Stuc Religioſus Ord. Praedicatorum, vir pietate, & doctrina celebris; Senatui Baſileenſi, contra Haereticos, de Sacrificio Miſſae opus

perfecit, aliaque opera Ecclesiae Dei utilissima.

Ambrosius Monachus Camaldulensis Florentiae natus, laudatur propter suas orationes de Eucharistia coram Imperatore, & Episcopis Graecis reci-
1480. tatas. Mortuus est cir. ann.

Anatolius Alexandrinus Canonem Paschalem scripsit. Hujus opinionis defensores sunt plurimi classici scriptores, inter quos Card. Bona..

Anastasius Synaita, qui circa finem saeculi sexti vivebat, non imperfectum opus suum de sacra Euch. posteris reliquit.

Sanctus Anastasius Papa inter Liturgicos scriptores citatur a Gavanto. Reliquit caducum regnum, & ad aeter-
402. num volavit ann. circ.

S. Anacletus Papa in sacra Liturgia auctoritatem facit. Sub Trajano regebat Ecclesiam, & sub eodem tumu-
112. latus fuit ann.

Andreas Pennatius librum edidit cum hoc titulo = Epitome sacrorum rituum, ac caeremoniarum Missae privatae = pûblicam lucem vidit ann. 1715. cum acclamatione Ecclesiasticorum.

Andreas Masius accuratissime traduxit

Liturgiam s. Basilii ex idiomate Syriaco, in qua vox illa *Anaphora* legitur, idest elevatio, sursum elatio, vel supplicatio.

Andreas Bocquillot Gallus, circ. ann. 1701. scripsit gallice tractatum historicum de sacra Liturgia. In aliquibus opponitur Card. Bona. Negavit noster auctor usum sacr. vestium ante saeculum septimum Christianum, contra veterum Scriptorum testimonia.

Angelus Carezzanus, non de mysterio Missae scripsit, ut male asserunt ali-
1613. qui, sed de Ministro Missae sub ann.

Angelus Contus, qui multoties a Card. Bona citatur, de mysteriis Missae breviter, sed accurate librum perfecit.

Angelus Rocca, Italus Ord. Eremit. S. Augustini, & Episcopus Tagastensis, lib. composuit de Apostolico sacrario, in quo multa de Rom. Eccl. ritib. extant. Ejusdem auctoris est commentarium cum Paralipomenis de campanis, ex quo non pauca desumpsit Card. Bona in suis lib. rerum Liturgicarum. Romae vero ann. 1598. edidit tract. de ritu, ac more. praeferendi Corp. Christi Romanis Pontificibus ineuntibus iter longinquum. Mo-

rem hunc coepisse docet aetate Gregorii XI. ideſt anno 1370. quamvis alii longe antiquiorem eſſe arbitrentur.

Angelus Maria Quirinus Monachus Caſſinenſis, & S. R. E. Cardinalis, pietate ac doctrina clariſſimus; orthodoxa veteris Graeciae officia in Latinum cum diatribus convertit ann. 1729. & offic. quadrageſimale Graecum, recognitum diatribus illuſtravit.

Anonimus in tractatu de Miſſa parochiali gallice conſcripta, plurima expoſuit etiam de auctoritàte canonis.

S. Anſelmus Cantuarienſis eruditiſſimum opuſculum ſcripſit ann. 1100. in quo plures reſponſiones leguntur de azymo, & fermentato. Tales epiſtolae Epiſc. Valeranno ab Auctore directae fuerunt.

Anſelmus Havelbergenſis Epiſcopus, eccleſiaſtica eruditione plenus, ſcripſit de antiquis ritibus conficiendi panem Euchariſticum, & clariſſime probat, quod non niſi a viris Religioſis pſalmos canentibus conficiebatur. Floruit XII. Chriſti ſaeculo.

1550. Antonius Demochares, qui vivebat ann. 1550. adverſus Miſoliturgicos calamum ſuum extendit; unde in cap. 1. tom.

2. asserit, quod Apostoli ab Hebraeis, & Latini a solo Principe Apostolorum Petro acceperit hoc vocabulum *Missa*: adeo ut nihil sit vel antiquum, vel catholicum in Ecclesia, nisi id, quod Hebraicis vocibus explicatur. In suo libro de Missa opponitur Genebrardo. Tamen de hac voce *Missa* videantur quae a nobis exposita fuere in tom. 2. annotationum rer. Eccl.

Antonius Bellotte circa ann. 1662. opus
1662. de ritu Eccl. Laudensis, ac de canone Missae composuit.

Antonius Pallotta sacr. rit. atque caerem.
1641. suum tract. complevit, & typis mandavit ann. 1641. in ipso plurima ad sacram Liturgiam attinentia leguntur.

Antonius Sandinus Italus J. U. D. plures quaestiones attingit praecipue de rit. Eccl. & de jur. Sedis Apost. Vir fuit doctissimus, & catholicae pietatis amantissimus, semper in paucis multa, & selecta complectitur. Floruit
1740. ann.

Antonius Monchiacenus Parisiensis Theologus librum de sacrificio Missae adversus Misoliturgos scripsit.

Antonius Literatus anno 1611. multa scripta reliquit, eruditione plena de

sacrificio Missae, qua de causa Scriptores ejus aevi merito ipsum laudarunt.

Antonius Baldassar Jesuita eleganter suum opus complevit omnibus carum, cujus titulus est = Liturgia sacra dilucidata =.

Antonius Augustinus Episcopus Illerdensis, contra opinionem eruditissimi Latinii, epistolam scripsit de pane fermentato.

Antonius Possevinus non multa, sed clara, & erudita scripta de sacr. Missae publico donavit.

Antiquitatum Liturgicarum tres libros scripsit incertus auctor, quos Duaci
1065. impressos sub anno 1065. fuisse asserunt omnes, quemadmodum & de Catholicitate auctoris.

Athanasius Kircherius, qui in sua Liturgia Cophta asseruit contra opinionem Joan. Gravi ipsam esse antiquam Ægyptiacam, laudatur a multis eruditis viris. Gravius Graecam corruptam appellavit.

S. Augustinus Ecclesiae Doctor habet epist. 119. ad Januarium de ritib. Ecclesiae. Inter alia S. Doctoris opera extat liber singularis adversus Hi-

larium Tribunitium de canticis ad altare. Nolebat Hilarius quod in principio Missae dicerentur psalmi, quod Augustinus defendebat. Nonnulli tribuunt S. D. introitum Missae; sed haec opinio non validis argumentis
428. probatur. Vivebat an. circ. 428.

Augustinus Episcopus Pientinus primus auctor Pontificalis, & Caeremonialis Romani, scripsit etiam de sacrificio Missae, sed amplius non invenitur.

Avitus Archiepiscopus Viennensis vivebat circa finem saeculi V. vel in principio VI. Propter aliquas epistolas, quas scripsit de sacra Liturgia, in nostra serie collocavimus, quamvis non sit magnae auctoritatis.

B

Balthassar Cordelius optime interpretavit Opera S. Dionysii Areopagitae cum scholiis S. Maximi, & Paraphrasi Pachymeris. Habet etiam varia ad Liturgiam pertinentia, & Antuerpiae opera omnia videntur impressa.

S. Barnaba propriam Liturgiam scripsit, quam injuria temporum, vel negligentia hominum perditam fuisse affirmant

fere omnes ſcriptores rerum Liturgicarum.

Barſoma inter ſcriptores Liturgicos collocatur a Card. Bona, & a Domno Bartholomaeo Gavanto; ejus opera non vidimus.

1670. Bartolus Bartolini an. 1670. ſcripſit accurate de Penula; & ejus ſententia nobis videtur probabilior.

1726. Bartholomaeus Corſetus plura circa an. 1726. de ſacris ritibus Beneventi publicae utilitati mandavit.

Bartholomaeus Gavantus Cler. Reg. Cong. S. Pauli; inter alia opera recenſetur Theſaurum ſacr. rituum, de quo eruditi Eccleſiaſtici ſcriptis, & verbis merito laudes emittunt.

S. Bartholomaeus Apoſtolus Armenis tradidiſſe Liturgiam non dubitatur; ipſe enim ad fidem Chriſti illos primus convertit.

B. Bartholomaeus Bononienſis Ord. Praedicatorum Provinciam Naſcivenſem ſitam in majori Armenia ad catholicam fidem convertit ſub Joanne XXII. & ſacram Liturgiam illis tradidit, non Graecam, vel Armenam, ſed Latinam. Modo vero in lingua Armena ſacra faciunt.

D. Basilius Borsech sacerdos Armenus traduxit Liturgiam suae nationis, quam Romae postea impressam vidimus; retinet tamen aliquid graecismi in latinitate.

S. Basilius scripsit suam Liturgiam Siriaco idiomate, quam traduxit Andreas Masius; alteram scripsit graeco idiomate: utraque adhuc existit.

Baysius spernendus non est, quamvis in suo opere de vestibus sacris minus accurate scripserit.

Benedictus VIII. & XII. inter Liturgicos scriptores numerantur; illorum opera non vidimus. Benedicti vero XIII. Opuscula Liturgica sub an. 1726. impressa legimus. Nihilo tamen minus inter Liturgicos omnes cum caeteris scriptoribus collocare censuimus.

Benedictus XIV. carus principibus, multa docte, ac erudite scripsit, etiam ad sacram Liturgiam pertinentia; illius opera variis in locis impressa videntur. In nostra Cronologia Pontificum majora de isto exposuimus.

Benedictus Hebertus Rationarium horarum canonicarum accurate publicavit.

Berno Abbas Augensis de rebus ad Missam pertinentibus tractavit. In *cap.* 2.

illius operis variis rationibus quaestionem dilucidat de hymno Angelico, cur frequentius canatur a sacerdotibus in Missis, & non tantum in die Paschatis, quemadmodum in principio missalis Gregorius prohibuit; revera post mortem hujus auctoris; idest
1042. circ. an. 1042. hymnum in Missis frequentius canebat Ecclesia.

Bernoldus Abbas Constantiensis scriptor
1089. Liturgicus magnae auctoritatis, ann. 1089. composuit Ordinem Romanum. Major pars scriptorum infimi aevi dubitant utrum typis mandassent posteri opus illud.

Bernardus de Parentinis vir revera in sacris eruditionibus clarissimus, Elucidarium omnium difficultatum Missae eleganter scripsit.

Bernardus Maria De-Rubeis scripsit dissertationem de vetustis Liturgicis ritibus, qui olim in aliquibus Forojuliensis Provinciae Ecclesiis vigebant.

Bessarion S. R. E. Cardinalis vir fuit revera magnae eruditionis, sed praesertim in sacra Liturgia ab omnibus laudatur. In ejus libro de Eucharistia legitur explicatio canonis Missae. Flo-
1455. rebat ann. circ.

S. Bonaventura S. R. E. Card. ſcripſit de expoſitione Miſſae an. 1260. Sanctitas viri operum ſuorum doctrinam nobis ſufficientiſſime declarat.

S. Bonifacius Papa primus, III. IV. VIII. & IX. a ſcriptoribus Liturgicis citantur; unde nos etiam in praeſenti ſerie collocavimus. Primus floruit an. 420. III. 607. IV. 614. VIII. 1033. IX. vero 1044. Eccleſiam gubernabat, ut ex Bullario Romano videre eſt.

S. Bonifacius Martyr, & Epiſcopus Ultrajectenſis, de calice ligneo, & de ſacerdotibus tractavit.

Bougeant G. H. S. J. quamvis non multa, ſaltem eleganter ſcripta ſua reliquit de forma conſecrationis Euch. Citatur tamen cum exiſtimatione a multis, & praeſertim a Gavanto in Theſauro ſacrorum rituum.

S. Bruno Aſtenſis Epiſcopus de Eccleſiaſticis ritibus Opuſculum ex Bibliotheca PP. extraxit, in quo aliqua adjecit, & Lugduni an. 1667. impreſſum videtur.

Bulengerus de ſacris veſtibus loquitur breviter, & in multis difficultatem non attingit, tamen alicujus utilitatis eſt.

C

Cajetanus Maria Merati Cler. R. S. Pauli observationes, & additiones copiosissimas apposuit in Thesauro sac. rit. D. Bartholomaei Gavanti, & Venetiis an. 1762. typis mandavit.

S. Callistus I. & ejusdem nominis II. citantur passim in rebus Liturgicis, unde illorum scripta Liturgiam amplecti non dubitamus. Primus navem Petri gubernabat an. 227. Secundus vero 1124.

Carolus Sertala Dertonensis Episcopus explicationem mysticam rituum Ambrosianorum spectantium ad Missae ce-
1672. lebrationem erudite exposuit 1672.

Carolus Bartholomaeus Piazza Necologiam, sive discursum mysteriorum sacrorum rituum, & caeremoniarum in funeribus, & exequiis mortuorum compilavit. Scripsit etiam de sacra Iride.

Cassandrum, cujus opera cum magna aestimatione citantur a Gavanto, & aliis Liturgicis scriptoribus, non vidimus.

S. Caelestinus I. si fides praestanda est Amalario, auctor introitus Missae.

Recentiores tamen Liturgici ſcriptores auctorem illius dicunt Gregorium Magnum. Caeleſtinum quoque III. inter Liturgicos invenimus.

Cencius Camerarius notiſſimus apud omnes Liturgicos scriptores propter ſuam doctrinam. In caeremoniis, ritibus, atque Eccleſiaſticis functionibus citatur.

Caeſar Baronius S. R. E. Card. erudi- tiſſimus in ſuis Annalibus multa de ſacra Liturgia expoſuit, quae ſi unita forent, optimum volumen conficere potuiſſent, ſignanter vero de Liturgiis Eccleſiarum Occidentalium. Flo-
1609. ruit an. 1609.

Caeſar Benvenuti Canonicus Regul. Later. eruditam inſtructionem compoſuit pro Sacerdote celebrante in Miſſa privata, & ſolemni.

Caeſarius Arelatenſis plures homilias reliquit, inter quas de sacrificio Miſſae. In ſuis ſcriptis agitur etiam de illis verbis *Flectamus genua*, & *Levate* cum maxima eruditione expoſitis. Flo-
500. ruit an. 500.

P. Chriſtianus Opiter ex Flandria obſervantiſſimus Regulae S. Dominici, accurate expoſitionem myſticam, atque ſpiritualem ſacrarum caeremoniarum sacrificii Miſſae publicavit.

Christophorus Marcellus Venetus Archiepiscopus Corcirensis, Rituale scripsit, ex quo Dominicus Macri in suo Hierolexicon asserit accepisse opinionem, non probabilem, de usu, & antiquitate pallii.

Christophorus Philippus Richter desideratissimam quaestionem explanavit de pallio archiepiscopali an. 1628. Alia opuscula hujus auctoris spernenda non essent, sed inedita haeredes illius reliquerunt.

Christianus Lupus Ord. S. Aug. auctor gravissimus, & celebris in notis canonum, in sua dissertatione super acta Leonis IX. contra schisma Michaelis Cerularii, erudite scripsit de azymo, & fermentato, & Brusselles typis mandavit ann. circ. 1668.

S. Cyprianus, qui vivebat an. 260. non minus sancte quam docte scripsit de sacra Liturgia.

S. Cirillus Hierosolymitanus, qui florebat an. 380. scripsit ordinem Missae, ut videre est in sua catechesi mystagogica quinta: supponunt tamen nonnulli talem ordinem accepisse a Liturgia S. Jacobi, & hoc deducunt ex maxima uniformitate illarum; nam

quod invenitur in prima, pariter legitur in secunda.

S. Cirillus Alexandrinus auctor Liturgiae fuit, ut asserit Abraham Ecchellensis, & alii scriptores. Vivebat
438. cir. an. repar. salutis 438.

S. Cyriacus juxta manuscripta auctorum Æthiopum unam particularem Liturgiam scripsit. Omnes tamen Liturgici scriptores in hac sententia non conveniunt.

Claudius de la Croix composuit instructiones varias super functionibus ecclesiasticis, quae typis mandatae fuere an. 1676.

Claudius Sanctius, vel de Sainctes, latine vertit Liturgiam S. Jacobi, Basilii, & Chrysostomi cum maxima diligentia; sed quia secutus est sententiam antiquorum scriptorum, asserens vocabulum Missae ex hebraica voce *Misah* derivativum esse, ideo in hoc rejicitur a Card. Bona, aliisque non mediocris eruditionis scriptoribus: Claudius natus est in ea Galliae regione, cujus populi olim Pertenses, nunc Perticenses vocantur. Is Canonicorum Regul. Ord. nomen dedit ann. 1540. sed ann. 1575. creatus fuit Episcopus Ebroicensis.

Claudius Espenceus in lib. 2. de adoratione Eucharistiae, optime, & erudite distinxit eulogia, & quid sint accurate definivit. Anno 1619. supponimus quod publicasset opera sua, caute tamen legenda sunt.

Claudius de Vert Monachus Cluniacensis maxima cum eruditione fecit explicationem literalem & historicam rituum Ecclesiae ann. 1708. sed gallice. Idem dissertationem de vocibus Missae, & Communionis cum appendice de agapis, eulogiis, pane benedicto, ablutione, & alia multa posteris reliquit. Inter alios scriptores ipse etiam admisit usum de fermentato in Ecclesia latina per aliquos annos.

Claudius Villet exposuit accurate rationale caeremoniarum Ecclesiasticarum.

Clemens VI. & ejusdem nominis VIII. de rebus Liturgicis tractarunt. Primus mortuus est 1355. secundus 1605.

Clemens Galanus Clericus Regul. con-
1650. ciliationem composuit an. 1650. Ecclesiae Armenae cum Romana, & de illius auctoritate plures Liturgici scriptores locuti sunt. Scripsit etiam multa de ritibus Armenorum.

S. Clemens Romanus scripsit Liturgiam,

quam ab Apostolis accepit, quemadmodum numeratur in suis constitutionibus; sed postea a suis successoribus auctam fuisse putant eruditus Baronius, & Bellarminus. Florebat
103. ann. 103.

Cornelius Schultingius in prima parte suae Bibliothecae Ecclesiasticae univit 115. missas pro variis circumstantiis recitandas: plures alias posuit in parte secunda. Omnes ex Missalibus Ecclesiarum collegit. Asserit tamen noster praeclarissimus auctor, quod in uno codice MS. quod vocant *Comitem*, & ejus auctorem Hieronymum esse credunt, plures sint, quam a Pamelio traditae fuere. Scripsit etiam de aucto-
1599. ribus sequentiarum. Vivebat an. 1599.

Commodianus, qui tempore S. Silvestri vivebat, in instructionibus Ecclesiasticae disciplinae carmina latina composuit, & initialibus literis uniuscujusque versus componit vocem istam *Ministris*.

Codex Missarum serenissimae Christinae Reginae Sueciae. In isto videtur titulus praefationis discrepans ab aliis. Qualis fuerit auctor, nullus assignat, sed omnes sub isto nomine ipsum distinguunt.

Columbanus in cap. 7. Regulae, ubi loquitur de Psalmodia, reliquit formularium *Kyrie*, sicuti habetur ex auctore antiquae Liturgiae.

Constantinus Hagerer Ord. Min. de ritu Missae privatae an. 1716. docte scripsit.

Constantinus Pontifex ex Soria, occasione Concilii Quinisexti Constantinopolim venit. De hoc Pontifice scribitur, quod primus introduxisset oscu-
714. lum pedum. Electus fuit ann. 708. tumulatus 714.

Cosma Hierosolymitanus in Sede Episcopali Majume sedit imperante Constantino Copronimo. Hymnos sacros in suo opere unitos videre possunt Eruditi.

D

S. Damasus Papa aliqua in Liturgia addidit; ideo citatur ab auctoribus Liturgicis. Rexit Ecclesiam ann. 384. vel melius creatus fuit ann. 367. &
384. defunctus 384.

Demetrius Comatenus Archiepiscopus Bulgariensis, in suo libro juris Graeco-Romani, agit de azymo, idest a quo tempore in Ecclesia Romana

introductum fuerit. Apud Graecos magnae auctoritatis est.

Demetrius Cidonius Thessalonicensis vir multae doctrinae, & pietatis; multa opera D. Thomae Aquinatis in Graecum transtulit, praesertim de sacrificio Missae. Malleus Graecorum appellatur, quia contra eorum schisma docte scripsit. A pluribus scriptoribus commendatum invenimus, & signanter ab Eminentissimo Card. Bona.

Dionysius (non audemus tamen asserere utrum sit ille, qui dicitur Areopagita, vel alter recentior): hoc tamen affirmare possumus sententia Card. Bonæ, & aliorum scriptorum rerum Liturgicarum, quod unus Dionysius fuerit auctor Liturgiae. Probabilior tamen sententia est, quod fuerit primus, qui vivebat ann. 120; secundus vero an. 1460.

P. Dionysius Carolus Placentinus Ord. Capuccinorum post Apostolicas missiones in Regno Gonghi, tandem anno 1687. librum rituum omnium Ecclesiarum ejusdem Regni publicavit, cujus titulus est = Maurus Venetus =. De isto tamen auctore nullam mentionem fecit in sua Bibliotheca universali Franciscana R. P. Jo. Antonius.

Dionysius Carthusianus, qui etiam Doctor estaticus appellatur, pius, sapiens, & vix ulli post Augustinum postponendus propter multiplicitatem operum; inter Liturgicos collocandus, eo quod Liturgica etiam opera scripsit.

Dionysius Barselibeus auctor Liturgiae, citatur a Card. Bona in lib. 1. Rerum Liturg. & a Gabriele Sionita. Ejus opera non sunt spernenda.

Dionysius Petavius S. J. scriptor celeberrimus, inter alia de Ecclesiastica Hierarchia, de potestate consecrandi Sacerdotibus a Deo concessa, & ideo merito in hoc catalogo collocatur. Ejus opera ann. 1643 lucem viderunt. Humana, & Divina literatura fuit insignis.

Diodorus Liturgiam particularem, vel communem scripsisse testatus est Abraham Ecchellensis.

Didacus de Castillo optime scripsit de vestibus & ornatu Aaronis; opus revera eruditione plenum; publicatum fuit an. 1671.

Dominicus Macri in suo Hierolexicon multa exposuit ad sacram Liturgiam pertinentia; sed in aliquibus vocabu-

lis, praesertim de Pontificio Pastorali secutus est improbabilem opinionem Cajetani, & a nobis confutatur in tom. 2. Annotat. sub voce *Pastoralis*. A Macri juniore denuo publicata fuere ejus opera cum emendatione vocabulorum.

Dominicum Giorgi inter Liturgicos merito collocamus; nam cum magna elegantia opus nobis reliquit, in quo omnia videntur, quae ad Liturgiam Romanorum Pontificum pertinent. Opus nostri auctoris fuit impressum an. 1731.

Donus Papa, qui sedem Petri tenebat an. Chr. D. 678. aliqua in Liturgia posuit.

Drogus Ostiensis, cujus opera inveniuntur in tom. 2. Bibl. Patrum, erudite de Off. Divino scripsit.

E

Edmundus Martene Cong. S. Mauri, de antiquissimis Ecclesiae Rit., de antiqua Ecclesiae disciplina, & alia multa sapienter ann. 1700. publicae utilitati donavit.

Egbertus Episcopus Eboracensis lumen

aliquod tribuit nobis ſuper *Confiteor*, & benedictionem Miſſae; quae formula non tantum invenitur in aliquibus miſſalibus, ſed etiam in aliquibus Eccleſiis adhibetur. Hic auctor eſt magnae aeſti-
730. mationis, & floruit an. 730.

Egidius Bucherus unius Canonis traductionem fecit ex graeco idiomate, & in eruditiſſimis illius operibus de Doctr. Temp. poſuit. Legitur etiam in inſcriptionibus Gruteri.

Egidius Romanus in Canonem Miſſae erudite ſcripſit, & a multis citatur.

Eligius Epiſcopus Noviomenſis plures homilias ſacras habet, in quibus erudite loquitur de Calice, ſed ſignanter in illa, quae ordine decima eſt.

Eleazarus Epiſcopus Babiloniae, vir doctrina celebris aliqua publicavit de ritibus in ſuo opere, in quo etiam de ſacra Liturgia breviſſime tractavit.

Emmanuel De-Vega Conimbricenſis Religioſus S. J. inter alia opera habet de
1586 ſacrificio miſſae, ſub ann. 1586.

Ennodius Ticinenſis in ſua Apologia documenta plurima nobis tribuit utiliſſima; ſed praecipue affert rationem, cur in canone Miſſae nominetur ſummus Pontifex, quamvis in Liturgiis

SS. Basilii; Chrysostomi, & Jacobi non in singulari, sed in plurali vocetur dicendo = Memento Domine
520. sanctorum Patrum &c. = Florebat an. 520.

S. Epiphanius, qui floruit ann. 406. quamvis diffuse non minus, quam erudite scripserit contra haereses, multa etiam inveniuntur in ejus operibus ad Liturgiam spectantia. Aliqui scriptores ipsum auctorem unius Liturgiae faciunt.

Estius confuse, & non accurate suam Orationem Theologicam de mixtione composuit.

S. Evaristus Papa, qui Cathedram Petri regebat ann. 121. in sacra Liturgia aliquid posuit.

Eusebius Renaudotius Liturgiarum Orientalium accurate collectionem fecit, & sub ann. 1716. supponimus publicasse.

Eustachius Patriarcha Antiochenus citatur ab erudito Cajetano Maria Merati in suis annotationibus, inter Liturgicos. Nescimus tamen, utrum idem, & unum sit cum Eustatio, & quod propter negligentiam librariorum nomen mutatum sit.

F

S. Fabianus Papa citatur a Marati, aliisque scriptoribus inter Liturgicos; asserunt quod aliquid sacrae Liturgiae apposuerit. Juxta accuratiores Crono-
254. logistas, Petri navem gubernabat an. circ. 254.

S. Felix Primus Pont. Max. & Felix IV. quamvis aliqua tractassent de sacra Liturgia, eorum scripta nec in parte, nec in toto vidimus. Primus rexit Ecclesiam sub anno 275. & IV. 530.

Ferrarius de vestibus sacris, quamvis non universaliter, docte tamen scripsit, illiusque auctoritas non est spernenda.

Filixinus citatur a Card. Bona, a Gavanto, & Merati; imo Card. Bona asserit Liturgiam aliquam scripsisse; cujus tamen auctoritatis sit, nescimus.

Florus Magister, & scriptor Liturgicus IX. saeculi super expositionem Missae opus perfectum Ecclesiasticis, eruditissimisque hominibus tradidit. Sententia nostri auctoris non discrepat ab illa Remigii Antisiodorensis; ut notant plurimi scriptores. An hic Florus ille sit Lugdunensis Ecclesiae Subdiaconus, cujus celebris memoria est apud Sir-

mundum in notis ad Avitum, judicare non audent ſapientes.

Pater Fortunatus Scacco Ord. Eremit. S. Auguſtini, & praefectus Capellae Pontificiae, ſuo libro nomen impoſuit = Myrothecium = in quo de Miſſa Pontificali tractando difficultates explanavit. Extant etiam quamplurima MSS. ejuſdem auctoris in Bibliotheca Angelica, de martyrio, de natura, quidditate, inquiſitione, auctoritate, cultu Beatificationum, & Canonizationum; etiam de directione Judicum delegatorum, & ſubdelegatorum in cauſis Sanctorum.

Franciſcus Magius opus ſuum complevit de Div. off. quod quidem laudatur ab omnibus, eo quod inoffenſo pede ad veritatem cum gravi eruditione legentes conducit. Scripſit etiam ſapienter de choro, & nonnulla opuſcula inedita videntur, quae ſi ad publicam lucem pervenirent, maximae utilitatis eſſent.

Franciſcus Maria Brancatius S. R. E. Card. eruditiſſimus atque piiſſimus, ejus opera de Viatico, & conſecratione Altarium, non proprio conſilio, ſed ſapientum, atque eruditorum vo-

luntati adhaerens, imprimere manda-
1672. vit ann. 1672

Franciſcus Samarinus non minus pietate quam eruditione clarus, ſcripſit dili-
1570. genter de Miſſa ann. 1570.

Franciſcus Blanchinus poſt alios auctores ultimus librum compoſuit de canone Paſchali ann. 1703. de illius auctoritate, & eruditione ſapientiſſimus Gavantus aperte teſtimonium reddit,
1729. aliique auctores. Obiit an. 1729.

Franciſcus Agricola opuſculum eruditum reliquit de officio ſacerdotum.

Franciſcus Quignonius S. R. E. Card. inter alia Breviarium Romanum ex ſacra Scriptura, & probatis Sanctorum hiſtoriis confecit, atque ann. 1536. Venetiis, & 1557. Lugduni impreſſum vidimus.

Franciſcus Carriere Ord. Min. Conventualium propter Cronologiam ſummorum Pontificum celebris. Etiam an. 1663. opus ſuum publicae utilitati mandavit de ritibus Eccleſiae catholicae juxta doctrinam SS. Patrum, & Conciliorum.

Franciſcus Turionus rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimus, ſub eadem materia laudabiliter ſcripſit.

Franciſcus Maria Florentinus an. 1680. opus magnae eruditionis plenum publicavit. Titulus ipſius eſt = Diſquiſitio de antiquo uſu fermentati panis, & azymi =. Propter claritatem, & brevitatem a multis aeſtimatur.

Franciſcus Ximenes Archiepiſcopus Toletanus in rebus Liturgicis eruditiſſimus, Liturgiae Mozarabicae aliquid addidit. Alia opuſcula ſcripſit, quae inedita manent. Merito igitur ab omnibus inter claſſicos Liturgicos collocandus eſt.

Franciſcus Macedo Ord. Minorum, ann. 1663. optimam diſquiſitionem Theologicam fecit de ritu azymi, & fermentati.

Franciſcus Venderveken optime ſcripſit in canonem miſſae ann. 1644. Illius ſententiam ſecuti ſunt plures Liturgici ſcriptores ſui ſaeculi.

Franciſcus Titelmannus opuſculum pietate plenum ſub ann. 1523. publicavit de ſacroſancto myſterio Miſſae, & alia MSS. reliquit.

Franciſcus Epiſcopus Rotomagenſis in ſuo tractatu de Miſſa plures notas habet particulares, & numquam ab aliis auctoribus expoſitas. Vir revera

eruditus in facris literis, fed praecipue in Liturgicis quaeftionibus.

Francifcus Gervafius poft tot tantofque scriptores viam novam aperuit cum fuo libro facr. rituum, in quo agit de Miffa plana. Qualis utilitatis fit teftantur Liturgici fcriptores. Publi-

1723. catum fuit ann. 1723.

Francifcus Berlendis Cler. Regul. vir doctus, ac devotus, fub ann. 1733. fuum eruditum opus publicae utilitati donavit, in quo fpecialiter agit de oblationibus ad Altare.

P. Francifcus Pagi Relig. Ord. Minor. Conventualium S. Francifci, & nepos eruditiffimi Antonii Pagi, de antiqua difciplina Ecclefiae, & facr. rituum accurate fcripfit.

Fulbertus Epifcopus Carnotenfis fcripfit Finardo epiftolam, in qua plures rationes expofuit de ritu mixto. Qualis fuit noftri auctoris eruditio in facra Liturgia, ejus opera teftantur.

Fulgentius Rufpenfis Epifcopus in fua epiftola refponfiva Ferrandi Diaci optime difficultatem fibi propofitam explicavit fuper illa claufula == Per Dominum noftrum Jefum Chriftum Filium tuum ==. Talis refolutio non

invenitur apud alios auctores cum tanta claritate. Magnae auctoritatis sunt scriptoris nostri monumenta, & a pluribus citatur.

G

Gabriel Albaspina Aurelianensis Episcopus de veteribus Eccl. ritibus lib. 2. ann. 1623. de sacr. Euch. lib. 1. composuit, & variis argumentis affirmat vocabulum *Missa* a voce septentrionali *Mess*, idest festivitas, sive congrega-
1627. tio exordium duxisse. Florebat ann. 1627.

Gabriel Biel eruditam expositionem literalem, & mysticam sacr. canonis Missae publicavit; quam tamen (si fides praestanda est in hac parte mordacissimo critico Launojo) ipse in fine operis ingenue fatetur collegisse ex magistro Eggingi de Brunsvik lectura, paucis additis & mutatis. Flo-
1560. rebat noster Gabriel ann. 1560.

Gabriel Sionita non indocte de Liturgiis Orientalibus opus suum perfecit. In epistola vero ad Nicusium loquitur de ritu Maronitarum.

Gabriel Severus Philadelphus in suo li-

bro de Sacramentis saepissime contra Petrum Arcudium scripsit, & praesertim agendo de concordia Occidentalis, & Orientalis Ecclesiae in administratione sacramentorum. De hac re tamen peritiores graecae eruditionis hinc inde pendent.

Galatinus plures libros composuit sub titulo = Arcana catholicae veritatis = in quorum decimo loquitur de sacrificio legis gratiae, jam ab antiquis Hebraeis pronuntiato. Fuit celeberrimus scriptor sui temporis.

Gardeboscus in suis scriptis aliquando opponitur Remigio Antisiodorensi, sed praesertim ubi agit de Missa Apostolorum: affirmat non tres tantum orationes recitasse Apostolos, sed etiam aliquas prius fudisse ad Deum orationes, non omissa omnium excellentissima, quam ex ore Divini Magistri acceperant, antequam consecrarent, ut gratiam largiretur ad digne tractandum mysterium illud. Item aliquas preces, quibus se se ad communionem disponerent, & denique alias, quibus pro accepto beneficio singulari Deo rependerent grates. Haec

opinio tamen ab aliquibus Liturgicis ſcriptoribus rejicitur.

Garzia Loayſa, vel Laoyſa citatum invenimus a Gavanto inter ſcriptores rerum Liturgicarum.

Gelaſius Papa I. aliquas Miſſas compoſuit, & ann. 831. exiſtebant in Abbatia S. Riccheri. Sunt qui volunt ipſum auctorem collectarum una cum S. Gregorio. Multa adjecit antiquae Eccleſiae Liturgiae: compoſuit sacramentorum praefationes, & orationes, numquam vero canonem Miſſae.

Gennadius, qui etiam sub nomine Georgi Scholari, Patriarcha Conſtantinopolitanus lingua nitidiſſimus, & ingenio acer, in ſua expoſitione Concilii Florentini loquitur de azymo adverſus Graecos. Notat vero Launojus alium Gennadium Scholarium Monachum, ejuſdem synodi hoſtem infenſiſſimum.

Genebrardus docte, ſed non recte ſcripſit ſuper Liturgiam Apoſtolicam; nam ex leviſſimis conjecturis intendit probare quod vocabulum *Miſſa* derivativum ſit ex voce graeca *Myeſis*, ideſt a verbo *Myeo*, quod idem eſt ac doceo, eo quod a Graecis dicitur *Myſis*.

Georgius Metropolitanus Corcirensis in suo erudito commentario de communione intendit probare Ecclesiam accepisse ab Apostolis panem fermentatum, & quod tempore S. Gregorii auct. dialogorum, oblationem in fermentato fecisset. Talis controversia plures suscitavit quaestiones inter Liturgicos.

Georgius Casander scriptor Liturgicus, suppresso nomine Bernoldi, nonnulla ipsius auctoris transtulit in suo opere Liturgico. Ut tamen distinguatur ab alio Bernoldo, iste fuit Presbyter Constantiensis.

Georgius Pachimeres non propter Apologiam, sed quia de Missa tractavit, ideo inter Liturgicos reponitur.

Georgius Codinus Curopalates in Orientalibus linguis peritissimus, accurate & erudite de offic. Eccl. Constantinopolitanae scripsit ann. 1648.

Georgius Wicelius in suo libro de defensione Ecclesiae affirmat cum Card. Bona, Thomasio, & Mabillonio Liturgiam Matthaei Flacci non distingui ab ea, quae hodie in Occidente juxta ordinem Romanum in usu est.

S. Germanus Constantinopolitanus erudi-

tionem suam ostendit in expositione sacrae Liturgiae. Titulus operis est: == Teoria Liturgiae ==.

Gilbertus Grimaldi ann. 1666. gallice sacram Liturgiam imprimere fecit, in qua plures res exposuit, ex quibus eruditio auctoris apertissime manifestatur.

Goldastus particularem Liturgiam pro acclamatione summi Pontificis dedit. Talis Liturgia in usu posita fuit in Germania tempore Nicolai Papae I. ut habetur in codice MS. monasterii S. Galli. Qualis eruditionis fuit noster Goldastus, ejus opera clarissime manifestant.

Gothofridus Vojgtus Thysiasteriologiam composuit, sive de altaribus veterum Christianorum. Hamburgi imprimere

1709. fecit ann. 1709.

Goffridus Boussardus Parisiensis Cancellarius in expositione canonis Missae opera suae mentis extendit non minus docte, quam accurate. Sub ann. 1511. & 1520 impressa fuerunt ejus scripta.

S. Gregorius Magnus celeberrimus propter opera illius eruditissima, atque Ecclesiae utilissima, signanter tracta-

tum habet de Miſſa, quae nocturno tempore celebratur. Aliqui Liturgici scriptores ipſum auctorem crediderunt canonis Miſſae; ſed ipſemet aſſerit, quod ex Scholaſtico originem duxerit: talis vero Scholaſticus fuit ante Gelaſium. Multa tamen in codice Gelaſiano mutavit, ſubtraxit, adjecit, & in uno volumine poſuit.

S. Gregorius Nazianzenus, qui tempore Theodoſii Imperatoris defunctus eſt, videlicet ann. 370. inter Liturgicos ab aliquibus ſcriptoribus collocatur.

Gregorius Papa II. prodiit Liturgiam, quam ex Arabico in Latinum a Victorio Scialac Arculenſi Maronita converſam fuiſſe affirmant plures ſcriptores Liturgici. Verius tamen eam olim graece exaratam in Bibliotheca C. P. fuiſſe reportatam una cum Liturgiis Ss. Baſilii, & Chryſoſtomi.

Gregorium Papam III. & ejuſdem nominis IV. VII. IX. X. XI. XIII. & XIV. qui Eccleſiam ſuis viduatam paſtoribus gubernarunt in ann. 741. 843. 1086. 1241. 1276. 1378. 1585. & 1623. merito inter Liturgicos numeravit Card. Thomaſius, Bona, & Gavantus.

Grangolus in ſua opera ſcripſit de Miſ-

ſa Africana, ideſt a pag. 262. uſque ad pag. 299. Idem auctor inter multos ſcriptores erudite tractavit de Miſſa Hibernica, quae apud Hibernos, & Britones in uſu fuit. D. Bernardus aſſerit modum ſacrificandi iſtorum a Romano diſcrepaſſe.

Gratianus ſub ann. 1151. opus de conſecratione reliquit, in quo ſub diſt. 1. de Miſſis nocturno tempore celebratis etiam ſcribit. Ejus auctoritas eſt magni momenti.

Grimoldus Abbas plures collectas compoſuit, & librum ſacramentorum. Pamelius in ſuo lib. 2. Liturgiae il-

800. las collocavit. Florebat circa an. 800.

Guibertus Tornacenſis, Ord. Minorum, non ſolum de off. Epiſcoporum, ſed etiam de eccleſiaſticis caeremoniis ſapienter opuſcula compoſuit. Videntur in Bibl. PP. *tom.* 23. Idem auctor rationem aſſignat de orationibus antepraeparatoriis Miſſae. Vir doctus ac pius Floruit ann. 1260.

Guidmundus Monachus Benedictinus, & poſtea Epiſcopus Averſanus, etſi alia opera non feciſſet, librum nobis reliquit contra Berengarium de Euchariſtia, ex quo comprobatur ſufficientiſ-

sime fides, doctrina, atque clarissima eruditio in rebus sacris nostri aucto-
1070. ris. Florebat an. 1070

Guilelmus Alanus Anglus S. R. E. Card. admirandae pietatis, & eximiae eruditionis fuit. Inter alia multa scripsit etiam de sacrificio Missae.

Guilelmus Durandus constantissime asserit, quod suo tempore, idest circa ann. 1280. Missam sabbati sancti nocturno tempore celebrabat Ecclesia. De sede Episcopali Mimatensi scripsit ration. Div. off. & de rit. Eccl.

Guilelmus Lindanus eruditissimus fuit scriptor. Annotationibus illustravit Liturgiam, quam aliqui Liturgici scriptores affirmarunt relictam fuisse a Principe Apostolorum Petro: tamen quia hoc probari non potest solidissimis argumentis, ideo rejicitur a pluribus. Talis vero Liturgia in C. MS. Card.
1584. Sirleti conservabatur. Floruit an. 1584.

H

Habertus, vel Kabertus Isacius auctor Liturgicus, in decima parte suae Liturgiae contra opinionem Albaspinae, verba canonis de viatico infir-

morum in Concilio Nicaeno exposita interpretavit. Affirmat etiam, quod in aliquibus exemplaribus Liturgiae Chrysostomi leguntur verba ista = Nicolai sanctissimi universalis Papae longa sint tempora = quae de Nicolao primo intelligenda essent. Scripsit etiam Pontificalia Graecorum. Asserit etiam, quod in canone positum sit nomen Pontificis, quando commemorationem omnium Patriarcharum etiam posuerunt. Supponimus vitam aeternam accepisse post ann. 1674.
1674.
Harduinus prae nomine Joannes sub ann. 1689. Parisiis publicam fecit eruditionem suam, quando librum de sacramento altaris Liturgicis legendum mandavit.

Haymus Monachus, deinde Halberstatensis Episcopus, de quo *tom.* 12. Spicilegii Dacherius loquitur; opusculum utilissimum fecit de corpore, & sanguine Domini post consecrationem. Facilis, & accuratus fuit etiam in explicandis sacris scripturis.

Henricus Gravius publicavit Coloniae librum, in quo videntur optimo ordine dispositae 240. praefationes, variis festivitatibus accommodatae.

Henricus Pisart Canon. Regul. S. Aug. expositionem Rubric. Missae, caeremonias particulares, & alia ad sacr. Liturg. pertinentia sub ann. 1708. 1723. & 1727. cum maxima gloria sui nominis publicare fecit.

Henricus Gorichen explanavit difficultates circa Missas votivas, & transeunter etiam de processionibus: sed quamvis bona dixisset, tamen non fuit magnae auctoritatis.

Henricus Dissen multa docte scripsit de officio Missae. Laudatur ab aliis auctoribus sacr. rit. propter illius claritatem.

1040. Hermannus Contractus, qui circa ann. 1040. floruit, propter illius opera inter Liturgicos numerabitur; sed de ritibus accurate scripsit. Chronicum tamen ipsius non est, sed ex Beda exscriptum fuit.

Hildebertus Turonensis elegantissimis versibus scripsit de sacrificio Missae. Quaestionem movit de pulsatione tintinnabuli in elevatione Corporis, & Sanguinis Christi tempore sacrificii. Videatur tom. 3. nostr. Annot. rer. Eccl. sub voce *Tintinnabulum*.

Honorius Papa primus Petri cathedram

occupabat circa ann. 638. & Honorius tertius sub ann. 1226. Hi duo Pontifices inter Liturgicos numerandi sunt.

Honorius Augustodunensis Episcopus in sua gemma animae, sive de Div. off. loquitur de Hostiis, videlicet quales fuerunt post annum Christi 1000. & de formis earum. Mortuus est circa ann. 1130. & laudibus encomiatur a multis.

P. Honoratus a S. Maria Carmelita excalceatus varia opera eruditione ecclesiastica plena publicae utilitati mandavit, sed praesertim de Liturgiis accurate scripsit, ut videre est in ejus *lib.* 5. *dissert.* 3. *art.* 3. In aliquibus tamen confutatur a Reverendissimo Patre Michaele a S. Joseph Matritensi, & Episcopo Quadensi Trinitario, eo quod solis argumentis negativis suam opinionem probare intendat.

Hugo Menardus Congr. S. Mauri, vir revera eruditissimus, ut videre est apud Sirletum, aliosque scriptores magni nominis; inter alia fecit notas & observationes in lib. sacram. S. Gregorii Papae, & Menologium Graecum.

Ugo Victorinus Canon. Regul. ubi scripsit de offic. Eccl. habet etiam de

missa. Originem hujus vocabuli *Missa* accurate investigavit. Aliqui auctores ipsum vocant *linguam Augustini*, melius tamen imitator Augustini a nobis vocabitur, contra opinionem Lau-
1136. nos. Florebat ann. 1136.

Hugo natione Gallus, Angliam eruditione sua illustravit, & ex Radingae Abbate Ord. Cisterc. Archiepiscopus Rotomagensis creatus est. Libros 3. erudite contra Haereticos sui temporis scripsit, & signanter de off. & Ministris Ecclesiae.

Humbertus Episcopus Silvae candidae & S. R. E. Card. clarissimus, erudite scripsit de consecratione in azymo, & in hac opinione uniformatur omnibus illis, qui contra Graecos scripserunt. Confutavit errores Michaelis Cerularii, Nicetae Monachi, aliorumque schismaticorum Graecorum, qui Latinorum sacrificium inutile esse affirmarunt. Supponimus cum majori parte scriptorum, quod ann. 1054. mortuus sit.

S. Hieronymus Ecclesiae Doct. celeberrimus saeculi IV. inter eruditissima ejus scripta extat lectionarium tum Epistolarum, tum Evangeliorum totius

anni. Plura etiam in suis voluminibus de Liturgia tractavit, quamvis variis in locis. Videtur in suis operibus catalogus scriptorum Ecclesiasticorum, in quorum numero sunt etiam scriptores Liturgici sui aevi.

Hieronymus Empserus Suevus adversus Svinglium de canone Missae, & contra Lutherum de sacrificio Altaris erudite scripsit. Ejus opera anno 1532. Coloniae impressa videntur.

Hieronymus Magius opusculum composuit de Tintinnabulis, & eorum usu in Ecclesia. Sublimavit atque complevit opus auctoris Franciscus Wertii, sed melius Swertii cum suis notis an. 1664. Capta Cypro in Asiam Hieronymus noster jam servus hominis Turcae libros composuit.

Hieronymus Crispus Archiepiscopus Ravennatensis duo opuscula eruditione plena Romae publicavit; in primo exposuit Off. B. V. M. in secundo Dissertationem mysteriorum Evangelicae legis, sacramenti Eucharistiae, & Missae.

Hieronymus Cantonus, qui vivebat ann. 1606. Hispanico idiomate eruditum Ordinarium Div. off. exposuit, in quo

plura de Missa inveniuntur scitu digna.

Hieronymus Baruffaldus exposuit commentaria ad Rituale Romanum, cujus impressio ann. 1731. videtur.

Hieronymus Fransonus de officio, & munere sacerdotali erudite scripsisse asserunt Gavantus, & Merati.

Hieronymus Savonarola Ferrariensis nobilitate, ac doctrina clarus sacr. Praedicat. Ord. nomen dedit 25. Apr. an. 1475. de mysteriis Missae multa erudite scripsit.

S. Hippolytus Martyr Episc. Portuensis, in sua elegantissima oratione de consummatione saeculi, scripsit etiam de rit. Eccl. ab Antichristo tollendis. Nescimus tamen, an propter antiquitatem auctoris adhuc existat. Floruit vel in fine saeculi secundi, vel in principio tertii.

Hippolytus Tonellus exponit in Enchyridion ea omnia, quæ ad sacrificium Missæ spectant; sed cum tali claritate, brevitate, & diligentia, quod sufficienter commendari non potest. Sub ann. 1695. publicatum fuit.

Hippolytus a Portu Religiosus S. J. novum librum complevit ann. 1705. cum titulo = De cultu Dei & hominum Liturgico morale.

I

P. Jacobus Goar Ord. Praed. Theologus, praeter ſuum Enchologium, ſive Rituale Graecorum, ſcripſit etiam de ſacroſancto myſterio Miſſae, & adnotationes ad Liturgiam Joannis Chryſoſtomi. Claruit ſaeculo XVII.

Jacobus Boſſuet Epiſcopus praeter conferentias cum Claudio ſuper materiam Eccleſiae, ſcripſit explicationem difficultatum ſuper preces Miſſae.

S. Jacobus Apoſtolus, ſi fides praeſtanda Graecis eſt, Latinis, & Siriacis ſcriptoribus, primus fuit auctor Liturgiae; imo aliqui affirmant illam exiſtere etiam noſtris temporibus.

Jacobus Sirmundus tractatum eruditione plenum fecit, in quo maximis rationibus affirmat, quod Eccleſia Latina ſaltem ſpatio 80. annorum utebatur fermentato.

Jacobus Janſonius aliquos libros Liturgicos ſcripſit, ſed in tertio illorum affirmat, quod verba S. Gregorii Magni in favorem Scholaſtici ſcripta de canone intelligenda non ſint, ſed de alia oratione compoſita ab ipſo Scholaſtico.

Jacobus Balduc Capuccinus, vir judicio, inventione, & doctrina egregius, cum maxima diligentia scripsit de Ecclesiis ante legem gratiae.

Jacobus Junterbec suum opus exposuit de casibus variorum dubiorum circa Missam, & in canone Missae, & de ejus valore.

Jacobus Minor habuit suam Liturgiam, in qua specialiter tractat de defunctis.

Jacobus Hildebrandus librum unum erudite scripsit ann. 1552. in quo agit de sacris publicis Ecclesiae primitivae.

Jacobus Winfelingius de hymnorum, vel sequentiarum auctoribus breviter scripsit, & alia de emendatione hymnorum.

Jacobus Petronius S. R. E. Cardinalis piissimus gallice composuit ann. 1622. tractatum de sacramento Eucharistiae, in quo multa ad Liturgiam pertinentia inveniuntur.

S. Jacobus Nisibensis, si vera sunt, quae ab Abrahamo Ecchellensi referuntur, auctor fuit unius Liturgiae.

Jacobus Pamelius praeter notas doctissimas in Tertullianum, & Cyprianum, multa etiam reliquit ad sacram Liturgiam necessaria. Aliqui affirmant quod vixerit sub ann. 1580. sed probabi-

1578. lius 1578. vitam mortalem amisit.

S. Jacobus Syracensis juxta indiculum librorum Æthiopicorum inventum a Job Ludolfi, auctor fuit unius Liturgiae.

Jacobus Edessenus Philoxenus auctor fuit unius Liturgiae juxta aliquos scriptores; nos vero in dubio relinquimus talem opinionem, eo vel maxime, quod non citetur ejus Liturgia nec pro qua gente, & sub quo anno.

P. Jacobus Wiecco Polonus S. J. religiosus, inter alia erudita scripta, definitionem sacrosancti sacr. Missae contra Franciscum Stancanum publicavit.

P. Jacobus Hongre natione Gallus sub regula S. Dominici per plures annos vixit, quo tempore cum maximo zelo volumen exposuit contra Novatores de sacrificio Missae, in quo plurima leguntur sacrae Liturgiae utilissima.

Jacobus Bayus Belga, Doctor Theologus, & Professor Lovanii floruit an. 1663. tres lib. publicavit adversus Lutheranos de venerabili Euch. sacr. & de sacrif. Missae: Antuerpiae publicata fuerunt ejus opera ann. 1605.

Ignatius Patriarcha Antiochenus scripsit suam Liturgiam, & exiliit in *tom.* 2.

collat. Liturgiar. Orientalium Eusebii Renudotii.

Ilduvinus Abbas citatur a Gavanto, & a suo successore inter scriptores Liturgicos.

Ignatius Antonius Palou Hispanus, & beneficiatus Ecclesiae Metropolitanae Civitatis Valentiae, suo libro titulum apposuit = Sacerdos instructus, & edoctus in antiquitate, origine, auctoritate, & praxi singularum missae caeremoniarum = in ipso multa ad Sacr. Liturg. spectantia leguntur. Impressio facta fuit ab Antonio Bordazar ann. 1738.

S. Ildephonsus ritum Mozarabicum ampliavit.

Innocentius Papa primus difficultatem explanavit de rituum varietate an. 416. Innocentius vero III. qui Trinitarium ordinem approbavit, multa docte scripsit, sed particulariter distinguitur in suo opere de missarum mysteriis, quemadmodum in alio opere de consecratione. Asserit etiam symbolum Nicaenum a S. Damaso Papa introductum fuisse in missis, quemadmodum in Ecclesia Graeca mos fuit. Liturgici scriptores semper ipsum citarunt, & est magnae auctoritatis. Innocen-

tius I. florebat ann. 416. ejusdem nominis Tertius 1216.

S. Joannes Evangelista inter Liturgicos merito numeratur a Card. Bona, Gavanto, & Joseph de Petio.

S. Joannes Chrysostomus, qui vivebat an. 407. post S. Basilium Liturgiam scripsit, ut asserit B. Proclus ejus Discipulus, & in sede dignus successor.

Joannes Grammaticus Alexandrinus, cognomento Philoponus, scripsit de azymo, & fermentato, & validissimis argumentis probat fermentatum apud Graecos ab initio Ecclesiae receptum, perseverasse usque ad saeculum VII.
608 Floruit, juxta calculum R.P. Le Long ann. 608.

Joannes Du Tillet Meldensis Episc. publicavit opusculum de sacrif. missae ann. 1570, & Calvinum nondum Haeresiarcam praeceptorem habuit.

Joannes Faber Viennensis Episc. in suo tractatu de Religione Roxolanorum, seu Moscovitarum, loquendo de eorum ritu asserit panem ordeaceum consecrare. De hac re tamen judicent Sapientiores, quia nonnisi ab isto auctore didicimus.

Joannes a S. Andrea sub nomine S. Gre-

gorii publicavit missam cum interpretatione graeca Georgii Codin. Talis missa revera est particularis.

Joannes Hofmeister doctissimus Religiosus ordinis Erem. S. Aug. optimam responsionem exposuit contra virum eruditum = Quare in missa panis, & vinum dicantur immaculatam hostiam pro salute vivorum, & defunctorum = Exposuit etiam missam, propter quam talis controvertia excitata fuit.

Joannes Cassianus celeberrimus observator sacrorum Rituum, opponitur volentibus auctorem hymni Glorificationis in principio missae, Flavianum Monachum Antiochenum. Vixit Cassianus post mortem S. Hieronymi annos 50.

Joannes Echius aliquos libros composuit de Sacrificio missae, sed tamen erravit affirmando, quod usque ad imperium Adriani, idest prope finem saeculi secundi, Apostoli celebraverint lingua hebraica. De caetero vere dicitur Malleus Lutheranorum.

Joannes Langhecrucius plures tom. composuit de Div. Off. rite peragendis: asserit etiam quod missalia particularia introducta sint post Concilium Aquisgranense tempore Ludovici Pii. Mor-
1580. tuus est ann. 1580.

Joannes Baptista Scorsia eruditum tractatum fecit de sacrificio missae; sed quia loquendo de vocabulo *Missa* sustinuit contra communem sententiam, derivativum esse ex vocabulo hebraico, ideo a multis rejicitur. A nobis separa-
1607. tus est ann. 1607.

Joannes Dartes Cadurci in Gallia natus sub ann. 1648. publicae utilitati mandavit sua scripta de consecratione, de Eucharistia, de origine Ecclesiarum, & earum forma, de Dignitatibus Ecclesiasticis, de statu Ecclesiae tempore Apostolorum, & alia utilissima. Obiit cum maximo dolore Erudito-
1651. rum ann. 1651.

Joannes Bechoffen ann. 1519. typis Basileae quadruplicem expositionem missae publicare fecit.

Joannes Beleth qui florebat ann. 1190. de Div. off. & de missa docte scripsit.

Joannes Burchadus ex Argentina civitate oriundus, fuit magister Caeremoniarum Pontificium ann. 1534. quo tempore ordinem missae publicavit.

Joannes Bona S. R. E. Card. vir clarissimus, piissimus, atque doctissimus, inter multa ejus scripta numerantur

duo libri da ſacr. Liturgia, ab omnibus hujus materiae intelligentibus commendati. Omnes ſcriptores Liturgici noſtri ſaeculi cum veneratione loquuntur

1673. de noſtro auctore. Vivebat ann. 1673.

Joannes Mabillon celeberrimus ſcriptor contemporaneus Card. Bonae, praeter opus de ſtudiis Monaſticis, etiam in lucem poſuit doctam diſſertationem de fermentato, quae ab eruditis variis elogiis decorata fuit, & ſignanter ab Eminentiſſimo. Card. Bona. Scripſit etiam de Liturgia Gallicana. Indumenta

1673. mortalitatis reliquit ann. 1673.

Joannem Papam VIII. XIII. XIV. & XXII. de rebus Liturgicis ſcripſiſſe tenet Gavantus: ejus tamen opera non vidimus. Cathedram rexerunt ann. 882. 972. 995. & 1337.

Joannes Alcocer Hiſpanus ann. 1612. erudite de caeremoniis Miſſae Hiſpanae opus complevit.

Joannes Baptiſta Monachus Caſſinenſis de expoſitione Miſſae nonnulla edidit.

Joannes Lopez Hiſpanus in ſua lingua

1606. ſcripſit de ſacrificio Miſſae an. 1606.

Joannes Benignus Boſſuet Meldenſis quorundam difficultates circa oratio-

1689. nes Miſſae optime explanavit an. 1689.

Opus etiam magni ponderis pro Liturgicis ſcriptoribus judicavimus.

Joannes Baptiſta Donius de utraque Penula tractatum habuit.

Joannes de Turrecremata S. R. E. Card. doctus, & dives, devotus, & docilis, diſputationem de azymo, & fermentato, nec non de tranſubſtantiatione ſcripſit, ut videre eſt in tom. 13.

1468. Conciliorum Labei. Vivebat circa an. 1468.

Joannes Bruneſumſch eleganter ſcripſit de off. Miſſae, ſed breviſſime.

Joannes Serranus myſticam expoſitionem Miſſae explicavit. Aſſerunt quod ann. 1626. publicam feciſſet.

Joannes Stephanus Durantus ſecretioris Regii conſiſtorii Conſiliarius ampliſſimus, & ſacra eruditione ornatus, de ritibus Eccl. librum publicae utilitati donavit ann. 1606. Lugduni.

Joannes Ciampini de perpetuo azymorum uſu ann. 1688. Liturgicis ſcriptoribus mandavit.

Joannes Fridericus novam veteremque Liturgiam primus expoſuit ann. 1705.

Joannes Baptiſta Rubeus, qui florebat an. 1600. diligentiſſime ſcripſit ſuum librum de Div. off. in quo plura de Liturgia tractavit.

Joannes Baptista Casali de veteribus Chri-
1645. stianorum ritibus posteris mandavit ann. 1645.

Joannes Grancolas antiquas Liturgias gallice scripsit, & veteris Ecclesiae sacramentarium, praeter aliqua de Missa. Vide litera G.

Joannes Bernardus Savonensis in suo vocabulario, & breviario Ecclesiastico multa spectantia ad sacram Liturgiam exposuit, qua de causa a Liturgicis scriptoribus multoties citatur: in aliquibus tamen opponitur Macri, & Cajetano.

Joannes Harduinus S. J. de sacr. altaris elegantem orationem, vel potius dissertationem imprimere fecit an. 1655.

Joannes Superantius in suo opusculo breviter egit de mysterio Missae.

Joannes Burchardus ann. 1559. suum ordinem Missae publicavit.

Joannes de Lapide resolutorium dubiorum Missae eruditis, & indoctis donavit.

Joannes Abricensis multa de Liturgia compilavit in suo opere de off. ecclesiasticis.

Joannes Fronto Canon. Regul. S. Genevefae varias dissertationes de reb.

1733. Eccl. publicavit ann. 1733. in quibus plurima de sacr. Liturgia Latinae Ecclesiae feliciter exposuit.

Joannes Garnerius de Pallio Episc. an. 1680. accurate scripsit; non numeratur tamen inter celebriores scriptores.

Joannes Morinus Congr. Oratorii D. N. J. C. Presbyter Parisiensis, de sacris ordinationibus Ecclesiae Latinae, Graecae, Syriae &c. secundum antiquos ritus scripsit. Parisiis impressa fuere ejus opera ann. 1655.

Joannes Maffei Cl. Reg. S. Pauli piissimus scriptor novam methodum cir-
1702. ca Missam, & Div. offic. ann. 1702. publicavit.

Joannes Barsusan, cujus opera non vidimus, a gravioribus scriptoribus citatur inter Liturgicos.

Joannes Maroni Patriarcha Antiochenus de Liturgia suae Ecclesiae tractatum habuit.

Joannes Paulus Montius instructiones Rubricarum pro rite celebrando sacr. Missae sub ann. 1725. publicare fecit.

Joannes Montagnolus citatur a Card. Bona, & Gavanto; sed ejus opera scholastica potius, quam Liturgica supponimus.

Joannes Paulus Nazzarius Cremonensis Ord. Praed. suam disputationem solemnem de sacrosancto sacrif. Missae a se habitam in Valle Clavennae cum ministris sectae Calvinianae scripsit, & publicavit. In ipsa plurima leguntur, quae sacr. Liturg. illustrant. Floruit saeculo XVII.

Joannes Talpinus natione Gallus, gallico idiomate librum omnibus carum composuit de sacrificio Missae.

Joachimus Hildebrandus eruditam non minus quam longam dissertationem fecit de sacris ritibus. Impressa fuit sub ann. 1655. cum magna eruditorum acclamatione.

Job Ludolfi in suo lexicon Æthiopico enumerat plus quam duodecim Liturgias.

Jodocius Clithoveus aliquos libros reliquit sub titulo = Elucidatoria ecclesiastica = in quibus juxta morem antiquorum missalium observantur interpositiones in *Kyrie* Missae, quemadmodum in *Gloria in excelsis* leguntur. Supponunt tamen accuratiores Liturgici, quod ex privata licentia positae fuerint, ideoque abolitae

videntur. Opera nostri Jodocii publicata fuerunt ann. 1520.

Joseph de Petio C. R. scripsit vindicias librorum Liturgicorum ab eruditissimo Card. Thomasio editorum, & typis mandavit an. 1723. Apud nostrum Joseph invenitur aliqua series script. rer. Liturg. de qua clar. Card. Bona loquitur, sed imperfecta.

Joseph Vicecomes Mediolanensis tractatum publicavit de antiquis ritibus, & sacr. Missae, juxta sententiam Joannis Baptistae Scorsia. Asseruit etiam contra Acta Apostolorum, quod proprias vestes Apostoli non habuerint dum sacra facerent. Cessit e vita circ.
1626. ann. 1626.

Joseph Maria Thomasius C. R. & S. R. E. Card. eruditissimus plura opera scripsit. Numerantur codices sacramentorum; antiqui libri missarum; off. Dom. Passionis in feria VI. Pa-
1713. rasceve juxta ritum Graecorum. Florebat an. 1713.

Joseph Augustinus Orsi Ord. Praed. ac S. R. E. Card. doctissimus, praeter suam historiam Ecclesiasticam, etiam dissertationem Theologicam scripsit de invocatione Spir. sanct. in Liturgiis

Graecorum, & Orientalium. Impressa fuit Mediolani sub ann. 1751.

Joseph Maria Suaresius composuit dissertationem de ablutione Altarium.

Isaac Magnae Armeniae catholicus vir aliquas invectivas fecit contra Armenos, in quarum prima demonstrat, quod optimum sit sacrificium tam in azymo, quam in fermentato. Huic opinioni consentit etiam Guibertus Abbas Novigentinus loquendo de Graecorum erroribus.

Isaacus Habertus, vulgo Habert ex Doct. & Canonico Theologo Eccl. Parisiensis Episcopus Vabrensis creatus, plures tractatus scripsit eruditissimos. Noster Isaacus caeremonialis Ecclesiae Graecae versionem Latinam adornavit, eamque prolixis notis illustravit, quae possint supplere locum exactissimi commentarii. Opus in materia Liturgica fere absolutum, passimque
1668. ab eruditis commendatum. Obiit ann. 1668.

S. Isidorus Hispalensis, cujus ingeniosum laborem in explendis ecclesiasticis officiis secuti sunt postea Alcuinus, Rabanus Maurus, Rupertus Abbas, Walfridius Strabo, Ugo Victorinus, &

alii recentiores. Libros ſcripſit de origine, in quibus explicat nonnullas Miſſas, ſed ſingulariter Cathecumenorum.

S. Iſidorus Peluſiota varias epiſtolas Liturgicas erudite ſcripſit, ſed particulariter in prima egit de ſalutatione Sacerdotum ad altare, & reſponſione Miniſtrorum. Ad Coelum advo-
442. lavit ann. 442.

S. Juſtinus martyr, qui floruit ann. 150. poſt Chriſti Nativitatem, in ſecunda ſua Apologia circa finem deſcribit ſeriem ſacrae Liturgiae, & ſingulariter S. Jacobi Apoſtoli.

Ivo Carnotenſis Epiſc. vir in Divinis libris exercitatus, & cautiſſimus, (ut Tritemius ſcripſit) nec non scripturarum, & canonum ſcientia illuſtris, cum magna eruditione ſcripſit ſuper id, quod conveniebat, vel diſconveniebat vetus a novo ſacrificio.

Praeter iſtos Liturgicos ſcriptores optimum erit etiam ſub litera J alios collocare, ut ES. Julius Caeſar Bolingerus, qui ann. 1620. opuſculum de Eccleſia optime publicavit. Julius Papa I. Joſeph Catalanus, qui de cambutis fractis in degradatione Epiſc. egit.

Joannes Baptista Thiers, qui gallice scripsit de altaribus, & choris Ecclesiarum. Julianus Hispanus, qui vivebat ann. 690. & diem clausit extremum aerae hispanicae 728. & de quo Felix Episcopus narrat, quod de Missa Mozarabica scripserit. Joannes Bernardus Puteolus Januensis, qui rationale de Romanorum Pontificum gemmis, seu libris 12. distinctum reliquit an. 1716. Joannes Braunius, qui teste P. Bernardo Lamy de vestitu Sacerdotum Hebraeorum tractavit, & sub an. 1701. publicavit Amstelodami.

Hi omnes merito locum habere debent in hac nostra serie ex consilio Eruditorum.

L

Lactantius Radfoldus egregius scriptor de mysterio Missae librum composuit.

Latinus Latinius patria Viterbiensis scriptor ecclesiasticus, cujus opera sumptibus Eminent. Card. Brancacci videntur impressa cum notis Dominici Macri. Erudite in suis scriptis legitur de azymo, & fermentato; sed

ejus ſententia opponitur opinioni Au-guſtini .

Lazarus Andreas Bocquillotius Presbyter Licentiatus Avalonenſis , erudite gallico idiomate tract. habuit de ſacra Liturgia . Una eſt omnium vox de iſto ſcriptore , quod floruerit circ. an. 1701. & inter eruditos Liturgicos adſcribendus ſit . Mortuus eſt 1728. in loco nativitatis .

S. Leander Hiſpalenſis Archiep. & digniſſimus frater S. Iſidori ac in ſanctitate , & doctrina pari ; de Miſſa Mozarabica optime ſcripſit , non tamen auctor illius fuit .

Leo Marcus Paulus accuratiſſime tractavit de origine pallii Pontificii ann. 1649.

Leodegarius Mayer Tugii 1737. opuſculum imprimere fecit complectens explicationem literalem , & hiſtoricam caeremoniarum omnium , ac rituum Eccleſiae Latinae .

Leo Oſtienſis in ſua Cronica loquitur de Evangelio Graeco , & Latino , quod legebatur in Miſſis ſolemnioribus Eccleſiae Montis Caſſini .

S. Leo Magnus celeberrimus propter e-jus opera , vivebat ſaeculo V. In epi-

ſtola hujus Pontificis, quae 81. eſt, loquitur de voce *Miſſa*, aſſerens a Latino, non a Graeca voce originem accepiſſe; hæc epiſtola ſcripta fuit Dioſcoro Alexandrino.

Leo Allatius graecis literis eruditiſſimus in ſua epiſtola directa Bartoldo Nicuſio, affirmat genuinam eſſe Liturgiam S. Jacobi. Scripſit etiam de perpetua conſenſione Eccleſiae Orientalis, & Occidentalis, de Miſſa praeſanctificatorum, & alia multa, quae Coloniae, & Romae publicata fuere.

S. Linus Volaterranus, qui D. Petro ſucceſſit, an. 81. poſt Aſcenſionem Chriſti D. rexit Eccleſiam. Huic Pontifici multa Liturgici ſcriptores adſcripſerunt.

Lucas Dacherius loquitur de confeſſione Monachorum Cluniacenſium in Miſſa. Talis confeſſio in antiquis miſſalibus non eadem eſt, ut videre poſſunt ſtudioſi in Bibliotheca Vaticana, Caeſarea, Barberina, & Ghiſiana. Noſter Lucas citatur a multis Liturgicis ſcriptoribus, & a variis expoſitoribus, ſacr. rit.

S. Lucas juxta nonnullos eccleſiaſticos ſcriptores Liturgiam compoſuit.

Lucas Wadingus optime de Liturgia Fran-

ciſcanorum ſcripſit, ſed particulariter interpretavit ſpiritum S. Franciſci, ubi egit de celebratione Miſſae. Mortuus
1628. eſt ann. 1628.

Lucas Joſeph Cerachinius explanavit dubia omnia ſuper Rubricas Miſſalis ann. 1726.

Ludovicus Navarinus Agnum euchariſticum compoſuit, in quo diligenter omnes formas hoſtiarum poſuit, quae pro varietate locorum, & temporum in uſum ſacrificii poſitae fuerunt.

Ludovicus Ciconiolanus opuſc. de Div. off. non indocte compoſuit.

Ludovicus Richeomus S. J. natione Gallus multa ſcripſit adverſus ſui temporis haereticos de ſacrificio Miſſae; citatur a multis ſcriptoribus, & ſignanter a Gavanto. Ejus opera Pariſiis publicata fuerunt ann. 1627.
1625. diem vero extremum clauſit ann. 1625.

Ludovicus Creſſollius ann. 1629. diſſertationem ſcripſit de Miſſa. Compoſuit etiam Miſtagogum ann. 1629. de ſacrorum hominum diſciplina.

Ludovicus Gherardi Epiſcopus Cortonenſis in ſuo opere de modo celebrandi coram proprio Epiſcopo pri-

matum habuit inter alios ſcriptores. Publicavit ann. 1731.

P. Ludovicus Du-Meſnil ſcripſit de Liturgia, quae a Principe Apoſt. S. Clementi relicta fuit. In ipſo opere quamplurimae difficultates explanantur Liturgicis ſcriptoribus neceſſariae.

M

Maldonatus omnibus notus propter ſuam clariſſimam eruditionem in ſuo tract. MS. de caeremoniis Miſſae, de canone etiam quamplurima ſcripſit, atque de antiqua Liturgia.

Manuel ſive Emmanuel Malaxus in ſuo libro de Nomocanone loquitur de Liturgia S. Jacobi Apoſtoli, affirmatque eam uſque ad tempora Baſilii Magni in uſum fuiſſe.

S. Marcus Evangeliſta juxta opinionem aliquorum propriam Liturgiam ſcripſit; alii tamen negant: at quemadmodum uſque modo indefinita manet quaeſtio; ideo ſapientioribus libenter cervicem noſtram curvamus.

Marculfus Monachus ann. 658. ſcripſit Formularium oblationum, in quo leguntur cartulae donationum, quae ſu-

per altaria a fidelibus collocabantur. Card. Bona in suo opere formularium habet.

Marcellus Francolinus praeter librum de horis Canonicis, etiam de missis nocturnis erudite, & diligenter scripta posteris misit.

Marcus Antonius Ghenare optimum opusculum composuit sub titulo = Ritus celebrandi missam =.

Marcus Alexandrinus in suis Epistolis Balsamoni scriptis tractavit de Liturgia S. Jacobi minoris. Non tam facile ejus opera inveniuntur.

S. Maronius Sirius, de quo aliqui scriptores affirmant librum Liturgiae scripsisse, quem postea a quodam D. Fausto Maronita ex idiomate Chaldeo in latinum asportatum fuisse credunt. Asserunt etiam, quod post Graecorum schisma scriptum fuerit; sed de hac ultima assertione dubitamus.

Maruta Episcopus Tagritensis merito inter Liturgicos ab omnibus collocatur; nam propriam Liturgiam scripsit, ut videre est in tom. 2. collectionum Liturgiarum orientalium Eusebii Renaudotii. Apud orientales magnam aestimationem habuit vivus, & post mortem ejus opera simili gloria decorantur.

Martinum Papam V. inter Liturgicos cum Gavanto numeramus, quamvis melius inter ſacrorum rituum ampliatores. Dies clauſit ann. 1431.

Martinus Stephanus optimum Manuale ſcripſit de cautelis in miſſa obſervandis.

Martinus Perez de Ayala Archiep. Valentinus librum omnibus Liturgicis neceſſarium publicavit de Divinis, Apoſtolicis, & Eccleſiaſticis traditionibus, in quo multa de ſacr. Liturgia erudite expoſita leguntur. Obiit Valen-
1566. tiae ann. 1566.

Martinus Duncanus patria Kempenſis, Colonienſis Dioeceſis, Lovanii Theologus, & haereſum expugnator egregius inter alia opera publicavit de Sacrificio miſſae adverſus Proteſtantes, & Anabaptiſtas. Obiit ann. 1590.

Mathias Flaccus natione Illiricus, ſed ſectae Lutheranae rigidiſſimus defenſor. Videatur de iſto auctore quae ſuperius diximus pagina 63. Iſte auctor
1573. tumulatus fuit ann. 1573.

Matthaeus Paſtor, qui propter ſuam eloquentiam, & eruditionem ab omnibus Eccleſiaſticis ſcriptoribus laudatur; unam Liturgiam ſcripſit, teſte

Card. Bona. Videtur etiam noſtris temporibus in collectione Liturgiarum orientalium Euſebii Renaudotii tom. 2

Mathias Kimchius propter ſuum Directorium ſacerdotale, in quo de Liturgia non pauca expoſuit, a Liturgicis, & Eccleſiaſticis ſcriptoribus commendatur.

S. Matthaeus Apoſtolus ſuam Liturgiam ſcripſit: ita affirmant omnes ſapientiſſimi inveſtigatores rerum Liturgicarum. Tamen Card. Bona dubitare non deſinit in ſuo primo lib. Rer. Liturg. qua de re nos placito ſtudioſorum relinquimus.

Matthaeus Galenus Woſtcapelius Belga Cancellarius Duacenſis, eruditiſſimus Graecae, ac Siriacae linguae, plures Catecheſes ſcripſit, & de Sacrificio miſ-
1599. ſae. Obiit ann. 1599.

Maximus Pachimere de rebus ad ſacr. Liturgiam pertinentibus; ac de Eccleſiaſtica Jerarchia non pauca publicavit.

S. Melchiades Papa, qui ſedebat in Petri Cathedra ann. 314. fecit decreta de fermentato.

Melchior Huelanus Hiſpanus eruditam orationem de caeremoniis in lingua nationali diffuſe ſcripſit.

S. Merodius, qui vivebat saeculo IX. communiter appellatur Apostolus Moraviae, eo quod illis populis Liturgiam lingua Sclavonica donavit. Tamen propter abusus quosdam PP. Concilii, Dalmatiae illam abstulerunt sub Pontificatu Alexandri secundi, quod quidem confirmare non dubitavit Gregorius VII. ordinando, quod non alio idiomate, nisi Graeco, & latino in Ecclesiis uteretur.

Micrologus, vel ut frequenter vocatur, Auctor libri observationum Ecclesiasticarum, cum summa diligentia scripsit de benedictionibus post missam, & in hac materia est magnae auctoritatis.

1089. Floruit ann. 1089.

Michael Timotheus infinitas quaestiones tractavit, sed particulariter numerantur 300. de Div. Off. & 600. de sacrif. missae.

Michael Bauldri Monachus Benedictinus in rebus Liturgicis peritissimus, optimum Manuale sacr. caeremoniarum publicavit.

Michael Brechingerus Presbyter Colmariensis docte adversus Lutherum de sacros Sacrif. missae, & de sanctissimae Eucharistiae celebratione per

Christum in Coena novissima exposuit suam doctrinam. Ejus opera Antuerpiae impressa sunt ann. 1543. & 1588.

Moleon vir clarissimus, & in eruditione Ecclesiastica peritissimus, Lugduni ann. 1707. suum librum gallice imprimere fecit cum speciosissimo titulo = De itinere Liturgico =. Laudatur propter claritatem, ac brevitatem scriptoris.

Moses Barcepha Episcopus Syrus doctus, ac pius, in suo lib. de Paradiso assignat modum construendi templa. Asserit mordacissimus Launoyus, quod aliquando a vera Theologia noster auctor discessisset.

Mutius Ord. Capucc. praeter summarium mysteriorum Missae, scripsit etiam italice de Off. Defunctorum.

Musaeus Presbyter Massiliensis circ. ann. 450. de antiquis Ritibus, & de Sacramentis plura eruditione plena scripsit; sed vel injuria temporum, vel negligentia hominum perdita sunt illius opera, quod quidem grave damnum attulit Liturgicis scriptoribus. Aliqui affirmant ipsum auctorem canonis Missae, sed communior sententia

est, quod aliqua pars ab ipso fuerit adjecta.

N

Narsis Auctor Liturgicus notissimus, de quo multa habentur, citatur a Card. Bona.

Nestorius Liturgiam scripsit, ut refert Abraham Ecchellensis.

Nicolaus Plove Sacerdos Posnoniensis vir magnae auctoritatis, & eruditionis, anno 1560. opus composuit de sacra Liturgia. Multi scriptores auctoritati suae acquiescunt. Scripsit etiam tractatum, Sacerdotale.

Nicolaus Cabasilas Archiepisc. Thessalonicensis, quamvis schismaticus, tamen exposuit duplicem Graecam Liturgiam; caute tamen legenda sunt ejus opera. Gentianus Hervetus conatur eum excusare, sed AEthiopem lavat.
1250. Vivebat ann. circ. 1250.

Nicolaus Mitonensis Episc. cum omni sinceritate, & diligentia opera sua perfecit; qua de re apud ipsum curiosi investigatores Liturgiae S. Marci, veritatem inveniunt. In rebus Liturgicis eruditus fuit, ideoque a Card. Bona variis in locis citatur. In suo

Libro de Corpore Christi scripsit de Liturgia S. Clementis Papae.

Nicolaus Papa primus, & ejusdem nominis III. de sacra Liturgia scripta reliquerunt.

Nicolaus Aurificus accurate de caeremoniis Missae cum mediocri elegantia scripsit. Auctores sacrorum Rituum ipsum saepissime nominant.

Nicolaus Brailon praeter alia opuscula erudita, sed inedita, tandem ann. 1648. de Pallio clarissime scripsit.

Nicolaus Serarius Ecclesiasticae antiquitatis diligentissimus scriptor, & hostis infensissimus haereticorum. Plurima in suis operibus invenient Liturgici scitu digna.

Nicolaus Villagagnon Gallus, splendor Equitum Melitensium tria opera publicavit vere catholica, idest responsiones ad articulos Calvinianos de SS. Euch. Sacram. de Consecratione, & mystico Sacrificio, de duplici oblatione adversus Vannium. In tertia vero agit de poculo Sanguinis Christi, & introitu ad sancta sanctorum contra Melancthonem. Omnes editiones sunt Parisienses sub ann. 1564., & 1569.

Nicolaus Stoer Germanus adversus nonnullos Marchiones civitatis Misnae erudite lib. de Off. Missae, & Sacrif. Altaris publicavit.

Nicolaus Thuanus Gallus ab Enrico IV. cui acceptissimus fuit, ad Episcopatum Carnutensem designatus est. Hic scripsit erudite explicationem sacrosanctae Missae, & de sacris ejusdem caeremoniis. Ex hac vita migravit
1598. ann. 1598.

Notkerus Monachus Othoni magni nepos, & Abbas S. Galli floruit circ. ann. 868. Multarum sequentiarum aliqui scriptores Ecclesiastici ipsum fecerunt auctorem. Eccherardus Monachus diffuse de nostro Notkero loquitur.

O

Odo Cameracensis, qui floruit ann. 1128. super canonem missae optime scripsit.

Oliverius Bonartius erudite, ac devote librum composuit de Sacrificio Missae; de horis vero Canonicis libros tres. In primo aliquid est de sacra Liturgia.

Ordo Romanus ex Card. Baronio au-

ctorem habuit Gelasium; plenior tamen videtur sub Stephano Papa, regnante Pipino, & Carolo Magno, ut asserit Hittorpius in sua praefatione. In isto veteres Romanae Ecclesiae Ritus explicantur. De illius antiquitate testes sunt Amalarius, & Albinus Flaccus.

Origenes praecipuus Graecorum auctor floruit in limine saeculi tertii. In suo primo libro contra Celsum scripsit de Sinaxi.

P

Pagninus Gaudentius, qui propter suam eruditionem a multis laudatur, optime scripsit de Rit. veteris Ecclesiae; nos tamen non vidimus.

Paris Crassus celeberrimus scriptor sacr. Rituum, Caeremoniale Pontificium
1548. accurate scripsit ann. 1540. obiit 1548.

Paschasius Radbertus erudite scripsit de Corpore, & Sanguine Domini, in quo libro rationem assignat, cur Apostolorum tempore, seu ab ipsis Apostolis non jejune recipiebatur, quemadmodum modo accipitur. De isto auctore Gratianus scripsit, & sub nomine Augustini illum citavit.

S. Paulus Apoſtolus praedicator veritatis, & doctor Gentium propriam Liturgiam populis dedit.

Paulus II. III. IV. & V. qui variis temporibus Eccleſiam gubernarunt, nempe ſub ann. 1471. 1550. 1559. & 1621. de variis Eccleſiae Ritibus tractarunt, & multa in ſacra Liturgia confirmarunt.

Paulus Maria Quarti Italus Ord. Cl. Regul. de rebus benedictione ſacratis, de ſacris benedictionibus, & de Rubric. Miſſalis Romani affectuoſe ſcripſit. Aſſerit noſter auctor S. Matthaeum Apoſtolum ritum benedicendi aquam inſtituiſſe. Ejus opera publicam lucem viderunt ann. 1674.

S. Petrus Princeps Apoſtolorum Liturgiam propriam vel ſcripto, vel verbo tradidit poſteris. De tali Liturgia nullus Catholicorum dubitat; quod vero mutaverint illam ſucceſſores, vel ampliaverint quoad accidentalia, teſtimonia infinita habentur.

Petrus de Opmeer inter Liturgicos ſcriptores numeratur, eo quod eruditiones quamplurimas de expoſitione Miſ-
1570. ſae donavit. Floruit ann. 1570.

Petrus Cantor multa de ſacra Liturgia

explanavit, & praecipue de Missa, quae vocatur communiter *Sicca*. Vi-
1200. vebat circa ann. 1200. & a variis Liturgicis scriptoribus commendatur.

S. Petrus Damianus antiquissimus, & eruditissimus scriptor opusculum publicavit, in quo de sola salutatione *Dominus vobiscum* tractavit scribens Leoni Eremitae. Obiit ann. circ. 1071.

Petrus Patriarcha Antiochenus scripsit de azymis, & pro confirmatione suae opinionis citat Petrum, & Paulum. De illius sana doctrina non dubitatur; sed tamen plures scriptores contrarios habuit.

Petrus Arcudius Presbyter Corcireus, natione Graecus, in libro 3. de Sacramentis ostendit validis rationibus, quod Apostoli non semper in azymo consecrarunt, sed aliquando etiam in fermentato: in fine tamen praefationis suam declarationem fecit. Opinio fuit etiam Arcudii, quod Monachi Graeci in itineribus longissimis secum portassent Corpus, & Sanguinem Chri-
1620. sti Domini. Florebat an. 1620.

Petrus Allix erudite dissertationem fecit de origine Trisagii. Vir pius, & sapiens.

Petrus Casola sub ann. 1499. de Missa Ambrosiana doctum librum composuit.

Petrus Lopez ann. 1608. accurate de Ritu Missae Hispanae opus suum complevit. Non solum apud Hispanos, sed apud alios scriptores Ecclesiasticos aliarum nationum commendatur.

Petrus Le Brun Congr. Orat. Presb. Nominis Jesu, explicationem literalem, historicam, & dogmaticam precum, & caeremoniarum Missae publicavit ann. 1726. Insuper, definitionem veteris consecrationis sub ann. 1727. Denique de Canone Missae.

Petrus Illerdensis Orationes, & plures Missas compilavit eleganti sermone diversis solemnitatibus congruentes; non tamen illas vidimus.

Petrus Cluniacensis opusculum publicavit de Sacrificio, & Ritu Missae.

Petrus Amelii Senagolliensis Ordinem Romanum typis mandavit.

Philippus Brenna de variis Ecclesiae Liturgiis, ac de Liturgiae ritibus, & legibus optime scripsit; quapropter ejus opera utilissima sunt omnibus Liturgiae amatoribus; plurima nova sunt.

Philippus Angeli breviter, sed erudite de Missa privata scripsit.

Pium Papam Primum, II. & V. qui supra Cathedram Petri sedebant ann. 167. 1464. & 1572. inter Liturgicos merito considerare debemus.

Pompejus Sarnellus vir doctus, & sacr. Rit. eruditissimus commentaria eorumdem publicare fecit.

Proclus Episcopus primo Cyzicenus, deinde Constantinopolitanus, Magistrum suum Joannem Chrysostomum in sacra Liturgia imitavit. Scribens de traditione Divinae Liturgiae opinioni Chrysostomi se conformavit. Veram esse affirmat Liturgiam Jacobi fratris Domini. Opera nostri auctoris interpretata fuerunt a Vincentio Riccardi viro clarissimo Ord. Cler. Regularium. Proclus fuit semper magnae auctoritatis apud Liturgicos scri-
447. ptores. Florebat ann. circ. 447.

R

Rhabbanus Maurus ex Abbate Fuldensi Archiepisc. Moguntinus electus, floruit ann. 855. vel ut alii volunt 1010. Praeter sua scripta de institu-
1010. tione Clericorum, de sacra Liturgia etiam multa composuit. Parisiis om-

nia ejus opera impressa fuerunt sub ann. 1624.

Radulphus Decanus Tungrensis, atque sacr. Rit. defensor acerrimus, dum vivebat, ab omnibus sui aevi scriptoribus appellatus fuit. In suo opere de observantia Canonum, solidissimis argumentis demonstrat, quomodo duo Officia Divina in Ecclesia Romana introducta fuerint, nempe unum pro Ecclesiasticis curiae Romanae addictis; alterum pro aliis. Probat Nicolaum III. fecisse in Ecclesiis urbis amoveri Antiphonarios, Gradualia, Missalia, & alios libros officii antiquos 50. ann. & mandasse de caetero, ut Ecclesiae urbis uterentur libris Fratrum minorum; hoc autem non est verum. Flo-
1400. rebat ann. 1400.

Raphael Tuki Episcopus Acatensis natione Coptus, & Professor philosophiae in Collegio de propaganda Fide, varia scripta publicavit pro Liturgia suae nationis.

Raymundus Martinus, qui ante Galatinum scripsit, citatur a Card. Bona inter Liturgicos scriptores. Ejus opera non vidimus.

Raphael Aversa Cl. Regul. minor. Opu-

sculum eruditum de Eucharistia reliquit Sacerdotibus, & studiosis Liturgicis.

Ratoldus Abbas Corbejensis codicem Liturgiae composuit, de quo apud Menardum curiosioribus videre est. Obiit
981. ante ann. 981.

Ratramnus, Bertramus etiam dictus Monachus Corbejensis libros 4. eruditione plenos contra Graecos scripsit, in quibus validissimis argumentis ostendit, quod etsi mutentur Ritus, & caeremoniae in Ecclesia, fides tamen firma consistit. Male tamen nostro auctori tribuunt aliqui scriptores libr. de Corpore, & Sanguine Christi Domini, qui fuit Joannis Scoti Erigenae, ut probant eruditi Critici.

S. Remigius Antisiodorensis in Ecclesiasticis doctrinis eruditissimus librum relinquit omni majori diligentia compositum de expositione Missae, sive
876. de Off. Missae. Floruit ann. 876. vel ut alii affirmant 900.

Ricardus Simeon diffuse scripsit de Canone Missae, & eruditissimis adnotationibus ornavit Apologiam Gabrielis Severi, qui fuit Metropolita Filadelphiae. Ejus opera maxime aestimatio;

nis sunt, sed non nisi in magnis Bibliothecis inveniuntur. Vidimus in Vaticana.

Riculfus Episcopus Moguntinus, ex Hispania in Galliam detulit labente VIII. saeculo epistolas suppostitias Pontificum quorumdam, in quibus agitur de origine hujus vocis *Missa*, a quodam Hispano sub nomine Isidori pia fraude confictas, sub VII. saeculo. Erud. Card. Baronius de istis epistolis dissferens ann. 865. eorum falsitatem agnovit.

Robertus Card. Bellarminus S. J. ab omnibus commendatur propter suam pietatem, & eruditionem. Inter plures tract. etiam plurima publicavit de Sacrificio Missae, in quo opponitur non immerito sententiae Antonii Democares circa vocabulum *Missa*. Vivebat
1620. ann. circ. 1620.

Rupertus Abbas Fuitiensis sensu profundus tractando de Eucharistia utitur locutionibus subobscuris, ideoque attente legatur. Scripsit etiam super vocabulum *Missa*, & ejus sententia a multis defenditur. Vivebat circ. ann. 1116. vel ut scribit Pater Le Long, 1135. Non confundatur tamen cum

alio Ruperto Monacho Benedictino Limburgensi Abbate.

D. Robertus Sala Taurinensis scriptor Bibliothecae Pontificiae Ord. Congr. S. Bernardi: annotationes fecit ad Liturgiam Card. Bonae, & typis mandavit Taurini cum maxima acclama-
1782. tione totius Italiae. Vivit adhuc.

S

Sabinianus Papa, S. Silverius, S. Silvester, S. Simplicius, S. Siricius, S. Soter, S. Stephanus, & Simmacus a Liturgicis scriptoribus inter Liturgicos numerantur. Eorum opera, vel scripta non vidimus, qua de re judicio alieno judicamus.

Salvus Abbas Monasterii Albaidensis aliquas Missas, Orationes, Hymnosque pro ritu Mozarabico composuit. De origine hujus Auctoris multi multa dicunt, sed nobis arridet opinio Alvari Gomez, & Card. Bonae.

Saussajus quamvis de paramentis Sacerdotalibus generaliter scripsisset, tamen particulariter in sua Panoplia Sacerdotali de Amicti origine locutus est.

Scultingius Bibliothecam Ecclesiasticam

pluribus tom. compilavit; sed in 4. tomo diffuse loquitur de illis verbis positis post *Pater noster* = *Sed libera nos a malo* =.

S. Sergius Papa ordinavit, ut a Clero, & a populo caneretur *Agnus Dei*.
701. Vivebat, & gubernabat ann. 701.

Severus Patriarcha Alexandrinus saeculo VI. vivebat. In suo lib. *Ordo Missae* = hostiam nominat variis nominibus. In sacra Liturgia peritus fuit, & in sacris Ritibus.

Simeon Thessalonicensis ex claustro Monastico ad Episcop. sublimatus fuit. Librum accurate scripsit de Divino templo, de ejus Ministris, de sacris eorum vestibus, de sacrosancta Mystagogia. Hunc Simeonis commentarium latine vertit, & una cum textu graeco Parisiis ann. 1667. vulgavit in Rituali graeco Jacobus Goar. Extat alterum opus de sacris Sacrificiis & Mysteriis omnibus Ecclesiae ex Scripturis, & Patribus collectum, quod graece MSS. habetur in Bibliothecis Vaticana, & Caesarea, & alia denique MSS. in eadem Bibliotheca Vaticana.

Simeon Subder ex Londinensi Episcopo, Cantuariensis Archiepiscop. crea-

tus, de celebratione Miſſarum tractatum ſcripſit. Pro Regni pace Londini occiſus fuit.

S. Simeon Syracusanus circ. ann. 790. propriam Liturgiam ſcripſit; in aliquibus tamen diſcrepat ab aliis Liturgiis.

Simeon Barboſa vir doctrina celebris ann. 1637. ſuum librum publicavit omnibus carum de Sacrificio Miſſae.

P. Simeon Sothray Anglus Ord. S. Auguſtini, non magnae molis Opus compoſuit de Sacramento Corporis Chriſti.

Simeon Wangnereckius interpretavit MSS. graecum, quod poſtea Venetiis impreſſum viderunt eruditi ſub nomine *Syntagma*. Rationem etiam aſſignat noſter auctor, cur in Canone Miſſae nominentur SS. Coſma, & Damianus.

Sineſius ſcriptor vetuſtiſſimus plures epiſtolas compoſuit eruditione plenas, & ſignanter in 58. loquitur de Miſſa, quae ab ipso vocatur Arcanum, Myſterium, quod idem eſt, ac Telet juxta Graecos. Terrena reliquit ann. circ.
148. 144. vel melius 148.

Siricius Papa plurima Decreta fecit de oblatione in pane fermentato, quae quidem Card. Bona in ſuo lib. 1. Rerum Liturgicarum transcripſit, & ex-

plicata fuerunt ab Innocentio III. Regnabat sub ann. 398.

Stephanus Brulefer splendor Ord. min. S. Francisci non minus pie, quam erudite explicationem Mysteriorum Missae scripsit; item de antiquis Missalibus, & orationibus antepraeparatoriis. Cum moestitia Eruditorum tu-
1480. mulatus fuit ann. circ. 1480.

Stephanus Durandus de Canone Missae accuratissime scripsit ann. 1269.

Stephanus Eduensis circa medietatem saeculi X. de Sacrificio Missae, & de Sacramento Altaris egregie librum publicavit.

Stephanus Tornacensis, qui saeculo XI. floruit, plures epistolas de vestibus Ecclesiasticis Cardinal. Albino scripsit.

Stephanus IX. alias X. Gozzelonis Ducis Lotharingiae filius, Fridericus antea appellatus, ex Cassinensi Abbate, & Cardinali Presbytero, uno omnium consilio Pontifex electus, scripsit de Corpore Domini, in quo libro omnia, quae Graeci adversus Latinorum Sacrificium delatrabant, destruxit.

T

S. Telesphorus Papa, qui Sedem Petri occupabat ann. 154. confirmavit sacros ritus. Huic Pontifici aliqui tribuunt Liturgiam celebrandi tres missas in nocte Nativitatis Domini.

Teodorus Balsamon inter alia multa erudita scripta, reliquit etiam de Missa sabbati sancti. Uniformatur in suis opinionibus Valdensi, Amalario, Durando, aliisque doctissimis viris. In Canone Apostolorum etiam scripsit graece, & latine, ut videre est in im-
1191. pressione Parisiensi. Floruit ann. circ. 1191.

Teodorus Episcopus, juxta scripta eruditissimi Allatii, fecit expositionem Liturgicam Missae.

Teodoricus Ruinart in descriptione S. Justini Martyris doctissime explicavit originem sacrae Liturgiae. Diligentiam nostri auctoris Liturgici scriptores commendant. Scripsit etiam de Pallio Archiepiscopali, ut videre possunt studiosi in tom. 3. Joannis Mabillon.

Tertullianus, qui in limine saeculi III. florebat, merito latinorum scripto-

rum antesignanus appellatus est. Inter multa ejus scripta de Pallio etiam egit, & in suo Apologetico de Divina Psalmodia, & de Rit. Ecclesiae.

Tilianus Codex sub ann. 1032. omnes orationes paramentorum Sacerdotalium complectitur.

Tobias Lohner S. J. eruditam piamque instructionem composuit de Sacrificio Missae juxta Rit. Romanae Eccl. offerendo: de horis Canonicis etiam sub ann. 1717. publicae utilitati mandavit.

Theophilus Rainaldus Gallus domicilio, sed ortu Nissardus, diffusissimum Onomasticum Eucharisticum scripsit, in quo etiam legitur de prima Missa, & alia multa scitu digna, atque Ecclesiasticis necessaria. Fuit Religiosus S. J. & ann. 1652. ejus opera, quae non pauca sunt, ut videre est in serie Auct. Eccles. Lugduni publicata fuere.

Theodoretus, de quo asserit Abraham Ecchellensis, in suo opere Liturgiam scripsit.

Thomas Brett circ. ann. 1720. optimam collectionem praecipuarum Liturgiarum eruditis porrexit, & merito laudem pro labore suo reportavit in saeculo nostro.

Thomas Winterton Anglus, Monachus Starfordiensis, contra Wicleffum librum complevit de assertione SS. Eucharistiae.

Thomas Beauxamis Parisiensis Carmelita, Parisiis publicare fecit suum librum de Sacrificio Missae, & de veritate Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia ann. 1574.

Thomas de Vio Ord. Praedic. ac S. R. E. Cardin. eruditissimus, praeter alia opera contra Lutherum scripta, opusculum etiam publicare fecit de Missa. Obiit ann. 1534.

Thomas Smith epistolam eruditissimam de hodierno statu Ecclesiae Graecae publicavit ann. 1678.

Thomas Valdensis in tom. 3. Operae doctrinalis constantissime asserit, quod suo tempore, idest post ann. 1400. celebrabatur Missa sabbati sancti ad noctem. Alii auctores talem sententiam non rejecerunt.

Thomas Giarmachita Liturgiam scripsit, de qua videre est apud Abrahamum Ecchellensem in suis notis ad catalogum Hebedjesu pag. 134.

Thomasius S. R. E. Card. piissimus, eruditissimus, liberalissimus, acquiescens

eruditorum voluntati; libros Liturgicos, & hymnarium univit cum maxima diligentia. Videatur illius Codex Sacramentorum.

Tydeus Bonamicus Liturgicam suam eruditionem demonstravit, scribendo de modo efformandi cruces super oblata. Ejus scripta anno 1720. anglico idiomate Londini publicata fuerunt.

Vallemontius Apologiam Rubricae Missalis gallico idiomate ann. 1710. publicavit.

Walfridus Strabo Abbas Augensis, qui saeculo IX. florebat, inter scriptores Liturgicos sui aevi ab omnibus eruditis reponitur. Opponitur Baronio, & Basilio loquendo de hymno glorificationis. Ejus opera Parisiis impressa fuerunt ann. 1624.

Walfangus Latius sub nomine Caroli Magni publicavit Ordinem Romanum, & tract. eruditissimum Ecclesiasticorum Rituum.

Vetus Codex de Missa ab Hittorpio; nescimus tamen, utrum adhuc existat.

Veterum Patrum Bibliotheca. In tomo 10. agitur de Divinis catholicae Ecclesiae Officiis, & Mysteriis vetustorum Eccl. Patr. Parisiis impressa fuit ann. 1624.

S. Victor Papa, qui Ecclesiam gubernabat ann. 203. inter sacrorum Rituum conservatores, & Liturgiae defensores adscribendus est.

Victorianus Voconius Episcopus Castellanensis in Mauritania, eleganter de Sacramentis, & Officiis scripsit. Asserunt nonnulli ipsum auctorem fuisse Canonis Missae; sed falsa est talis opinio: nam Apostoli ipsum composuerunt. Opera nostri auctoris vix inveniuntur. Vivebat inter ann. 400. & 600.

Victorius Scialach Maronita linguarum Orientalium peritissimus, ex lingua AEgyptia tertiam Liturgiam S. Basilii in latinam accurate traduxit etiam cum interpretatione Arabica. Opus auctoris in Bibliotheca PP. legitur.

Wicellius qui fuit primus discipulus Lutheri, sed recte postea cogitans factus est optimus Catholicus, & eruditus Liturgicus; transcripsit cum summa diligentia Missale unum, quod *Lytaniam* appellavit auctor antiquae Liturgiae, eo quod antiquam formulam Lytaniarum continebat.

Vigilius Pontificiam Sedem occupabat ann. 555. Multa huic Pontifici attribuuntur in sacra Liturgia. Scimus scripsisse de Canone Missae in sua epi-

ſtola ad Eucher. & ſuae opinioni Liturgici acquieſcunt.

Vincentius Riccardus in commentariis Procli de traditione Miſſae clare ſcripſit.

S. Uldericus ann. 1070. univit conſuetudines Cluniacenſes, ex quibus reſultat, quod hoſtiae pro sacrificio non erant magnitudinis unius denarii, ut aſſerunt aliqui scriptores. Talis magnitudo denariorum in fine ejuſdem ſaeculi inventa fuit. In Liturgiis Graecorum, & in lib. 8. conſtitutionum Clementis Papae alterum formularium invenient curioſi inveſtigatores rerum Liturgicarum.

Urbanus Papa II. auctor fuit Praefationis B. V. M. regebat Romanam Sedem ſub ann. 1099.

Urbanum IV. VI. & VIII. inter Liturgicos, & sacr. rituum reſtauratores ponendos eſſe affirmat Card. Bellarminus.

Uranius, qui vivebat an. cir. 440. ſcripſit de illa voce *Oremus*, quae a Sacerdote poſt *Dominus vobiſcum* ponitur. Videatur in vita S. Paulini.

X

Xyſtus Pontifex a multis ſcriptoribus Liturgicis, & praeſertim a Gabriele Sionita dicitur auctor Litur-

640. giae. Inter auctores sexdecim Anaphorarum Xystus collocatur.

Xystus II. III. IV. & V. plura, & varia de sacris Ritibus; & Liturgia tractarunt. Legatur Cronologia Bellarmini.

Z

Zaccharias Andrianus, qui floruit ann. 1576. de Sacrificio Missae diligenter scripsit.

Zaccharias Papa tempore sui Pontificatus, idest circ. ann. 752. multum sacrae Liturgiae cooperavit. Traduxit librum Dialogorum S. Gregorii.

Zaccarias Pasqualigus C. R. vir pietate, ac doctrina insignis plures tom. publicavit ann. 1707. de Sacrificio Missae.

S. Zeffirinus extensionem Liturgiae, ac sacrorum Rituum procuravit, & con-
221. tra pseudoparacletos montanos spiritualibus armis se opposuit. Vere dignus fuit Petri successor.

S. Zosimus Papa, qui Cathedram Petri occupabat ann. 419. plura suo
419. tempore fecit, & majora fecisset, si plusquam annum vixisset. Decrevit Cereum Paschalem, & quod Diaconi levas tectas haberent pallis linostimis. S. Augustinus nostrum Pontificem a calumnia Juliani defendit.

Opusculum sacrae Liturgiae unà cum serie scriptorum Liturgicorum jussu Reverendissimi P. Vic. Gen. S. Officii Vercellarum ego infrascriptus attente lustravi, nihilque reperi, quod ejus impediat impressionem. Dabam Vercellis in Coenobio Minor. S. Francisci Convent. die 31. Augusti 1785.

F. Antonius-Bonaventura Presbitero, S. Facultatis Doctor, Definitor perpetuus, nec-non S. Officii Consultor Ordinis Minorum Conventualium.



Attenta præmissa adtestatione

IMPRIMATUR

F. Joseph Hyacinthus Cappelli S. T. M. Ord. Præd. Vicarius Generalis S. Officii Vercell.

V. Rostagni R. V. C. P.

V. Se ne permette la stampa

RUBINO Prefetto per la gran Cancelleria.

CATALOGO

D' alcuni libri che si trovano in maggior numero

PRESSO

FRANCESCO PRATO

Librajo in Torino nella contrada di S. Teresa.

Ariosto Orlando furioso 12. tom. 2. ll.	2	5
Alemanni Avarchide Bergamo 12. tom. 2. . .	2	15
== Girone il cortese 12. tom. 2.	2	15
Borghetto Orazioni 8. tom. 3.	4	10
Bossuet Storia variazioni 12. tom. 4.	3	
== Storia universale 12. tom. 2.	2	10
Breteville Quaresimale 4. . .	2	
Bagnati lezioni 4. tom. 5 .	17	
Biblioteca de' Parroci 12. tom. 15.	18	
Bossuet sermoni 4. tom. 2. .	10	
Bordoni buona morte 4. tom. 3.	9	
Caro Eneide di Virgilio 18. Milano.	1	
Campadelli Domenicale 4. tom. 2.	3	
Croiset esercizj 12. tom. 17.	18	
Dolce oraz. di Cicerone 4. tom. 3.	9	
Dizionario di sanità 8. tom. 4.	5	
Corticelli Toscana eloquenza 8 tom. 2.	3	

Educazione, ed istruzione cristiana 8. tom. 3.	ll. 5	
Leclerc storia medicina 8. 4. vol.	8	
Dizionario Storico portatile 8. 7. vol. Napoli.	9	
Indirizzo spirituale 18.		15
Ferreri Catechismo	3	
Figatelli Aritmetica.	1	15
Giacco Orazioni panegiriche	2	5
Lambertini notificanze	4	
== Feste	5	
== Casi di coscienza	3	
Liguori Domenicale.	3	
Martini Grammatica delle scienze 8. figurata.	2	10
Muratori Filosofia morale 8. tom. 2.	2	10
Gilblas storia galante 8. tom. 7.	6	
Joli Domenicale 4.	3	
Ovidio poesie malinconiche 12. tom. 5.	3	10
Ovidio tristezze del Bianchi 8.	1	15
Petrobelli ragionamenti 4.	3	10
Platina vite de' Pontefici 4.	4	
Odi di Orazio 8.	1	10
Epistole di S. Gerolamo 12.	1	5
Maffei impiego del denaro 4. Roma.	4	10
Rossi Panegirici 4.	2	
Rodriquez Esercizj 8. tom. 3.	3	10
Rotigni spirito della Chiesa 8. tom. 3.	6	

Ricciardetto 12. tom. 2. . ll. 3
Serafino da Vicenza orazioni 4. 5
Bandiera orazioni 8. tom. 7. 14
Puffendorf diritto della natura 4. tom. 4. . . 15
Scaramelli direttorio mistico 3
== Ascetico . . 5
Nuovo testamento 8. tom. 2. 2
Hardion storia universale 12. tom. 20. 30

VERCELLIS. 1786.



CUDEBAT JOSEPH PANIALIS.



